



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

Lib. V. De Timore, & Spe, firmis perseuerantiæ subsidiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

LIBER QVINTVS,

De Timore & Spe, firmis Perseuerantiæ subsidijs.

CAPVT I.

Timor Dei commendatur.

T Ost humilitatem tantopere commendatam, de Timore Dei flere non possum, cum vel eam gignere, vel ab ea gigni sit dicendus, imò virtutum omnium, salutisque nostræ fidissimus sit, aut custos, aut parens. Timor, ait D. Hieron. *virtutum custos est: securitas, mater negligentia.* Et D. Basilius, *Vbi timor Dei, omnes affectuum macula ex mente nostra expulsa sunt.* Volebat, vt aliàs retuli, Abbas Pœmen, humilitas & timor Dei, essent monacho instar vitalis flatus & reflatus, vt illis viueret, spiraret & respiraret. Etenim, vt dixisse ferunt Iacobum Abbatem, quem admodum lucerna in obscurum thalamum illata totum illustrat, ita timor Dei in cor illabens illuminat illud, mandata Dei, & virtutes omnes docet. quod pulchrè & eleganter Clemens Alexandrinus, *Peccatorum proserpentes corrosiones sistuntur ab amarâ metus radice: quam obrem salutaris est metus.* — Qui egrotamus, saluatore opus habemus, qui aberrauimus, eo qui nos est deducturus, qui cæci sumus, eo qui nos ad lucem deducat, qui sitimus, fonte vitali, cuius qui participes sunt non ampliùs sitiunt, qui mortui sumus, vita egemus, qui oues, pastore, qui pueri, pedagogo, & vniuersa natura humana Iesu, ne qui insolentes & peccatores sumus, incidamus in sinem condemnationis, sed à patris segregemur, & in apothecam paternam recondamur.

epist. 127. mans. 23. Hom. 11. Hexaem.

l. de com. pun.

l. 1. Pedag. c. 9.

Dilucidè, more suo, S. Chylostomus, *Nisi bonus esset timor, filijs patres pedagogos non preponerent, non legistores ciuitatibus preficerent, illos magistratus.* — Vbi timor est, liuor non est, vbi timor est, pecuniarum amor non vexat, vbi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationalis passio exterminata. Et sicut in domo stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis t. alia mala patrantium apparere propius audebit: sic & metu animas nostras detinente, illiberalium perturbationum nulla facildè surrepit, sed omnes fugiunt & pelluntur, timoris imperio vndique exalta. Nec hoc solum est quod ex timore lucratur, verùm & aliud multò maius: non enim improbas tantùm nostras expellit passiones, sed & omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Vbi timor est, ibi & elemosynæ studium, & orationis intentio, & lacrymæ feruentes & continuæ, & gemitus multam habentes compunctionem. Nihil enim tantum, peccata quidem consumit,

hom. 15. ad pop. Ant.



virtutem verò crescere facit & germinare, quantum continui timoris natura. Propterea qui non vivit in timore, rectè illum agere non est facile: sicut vicissim cum timore viventem, est impossibile peccare. Idem quoque alio loco præclarissimè, Dei timor, inquit, has habet vitæque, stabilis est immotusq; , tantamq; lætitiã emittit, vt nullus nos aliorum malorum sensus capiat. Deum enim sicut oportet timens, & Deo confidens, voluptatis radicem lucratus est. & omnem habet lætitiã fontem. Et sicut scintilla brevis, in immensum mare decidens, facile deletur, sic quantumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiã pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur. Exequitur deinceps, quàm sit id admirandum, tribulq; Babylonij pueris perfimile, quibus ignis, tantusq; & sic succensus ignis, tanta rapacitate alios deuorans, nocere non potuit, irrorare, vincula toluere, delectare potuit.

Præclarum illud quoque quod è D. Basilio transcriptu dignum indicauit
Parall. c. 4. S. Damascenus. Domini timor, animi expiatio est, iuxta id quod precibus à Deo contendebat Propheta, his verbis vtens, *Consige timore tuo carnes meas Domine.* Quem admodum enim qui corpus clavis transfixum habet, in eiusmodi cruciatu versatur, vt nihil efficere queat: sic qui Dei timore constrictus tenetur, non oculos ad ea quæ minime opus est, adhibere, non manus ad interditas actiones mouere, nec denique quidquam, vel paruum vel magnum præterquam conueniat, moliri atque efficere potest, suppliciorum videlicet eorum quæ Deus comminatus est timore, non secus ac cruciatu quodam, transfixus. Sed auditum tanti viri nomen in memoriã reuocat singularem eiusdem hac de re locum, qui in psalmum 33. post alias timoris Dei laudes ita scribit, *Timor salutaris, & qui sanctitatis operatorius est, timor idem qui studio acquiritur, vis enarrem qualis sit: si quando te senseris ab appetitu ad peccandum pertrahi, velim cogites horribile illud & intolerabile Christi tribunal, in quo præsidebit iudex in alto & excelso throno: adstabit autem omnis creatura, ad gloriosum eius aspectum contremiscens.* Adducendi etiam sumus nos singuli, eorum quæ in vitã gesserimus rationem reddituri. Mox, illis qui multa mala in vitã perpetrarunt, terribiles quidam & deformes assistent angeli, igneos vultus præseferentes, atque ignem spirantes, ea re propositi & voluntatis acerbitatem ostendentes, nociti vultu similes, propter mororem & odium in humanum genus. Ad hæc cogites profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem splendore, vrendi quidem vim habentem, sed puritatem lumine: deinde vermium genus venenum immittens, & carnem vorans, inexplebiliter edens, neque vniquam saturitatem sentiens, & intolerabiles corrosione ipsius dolores inficiens. Postremò quod suppliciorum omnium grauissimum est, opprobrium illud, & confusionem sempiternam. Hæc time, & hoc timore correptus, animam à peccatorum concupiscentia, tamquam freno quodam reprime. Hunc timorem Domini docturum se Propheta promissit, *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Verum vt auctoritatum harum sit factis, & primis postrema respondeant, D. Hieronymo Tertullianus suffragator accedat. *Qui præsumit, inquit, minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur.* Timor, fundamentum salutis est: præsumptio, impedimentum timoris. *Vilius ergo si speremus nos posse delinquere: sperando enim i in meo-*

mus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus: contra, si presumamus, neque timendo, neque cauendo, difficile salui erimus. Qui securus agit, non est sollicitus, non possidet tutam & firmam securitatem. At qui sollicitus est, si vere poterit esse securus.

Tam confouis atque conspirantibus horum Patrum aliorumque sententijs, quædam in eiusdem timoris commendatione è sacris Literis oracula decerpamus. Et quidè magnus ille Legislator clamat; *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus* Deut. 10. *petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius?* Cùm autem id non obseruassent; quàm grauitè apud Prophetam ipsemet expostulat, *Audi popule stulte qui non habes cor, qui habètes oculos, non videtis; & aures, & non auditis? Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis: Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non prateribit; & commouebuntur, & non poterunt, & intumescet fluctus eius, & non transibunt illud: populo autem huic factum est cor incredulum & exasperans, recesserunt & abierunt. Et non dixerunt in corde suo; Metuamus cap. 10. *Dominum Deum nostrum. Non est similis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, ó Rex gentium!* Ideoque ad omnes, quid præ omnibus magni faciendum, & præ quo cetera omnia vanissima sint, Sapiens clamat, *Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata eius obserua* Eccles. 12. *hoc est enim omnis homo. Et hortatu: ipsos etiam reges Psalmita; Seruite Domino in* Psal. 2. *timore, & exultate ei cum tremore. Et ad omnes Apostolus, Cum motu & tremore salutem vestram operamini. Quidni enim? cùm etiam dictum sit; Timere Dominum omnes sancti eius: & ille simplex, rectus, timens Deum, & recedens à malo, cui teste Deo, non fuit similis in terra seruans innocentiam, de se palàm proficetur, Semper quasi timentes super me fluctus timui Deum, & pandus eius ferre non potui. Quid? quòd ille Apostolus qui in tertium raptus cælum, arcænis Dei mentis aures applicuerat; qui 1. Cor. 9. Rom. 8. *curiebat, nõ quasi in incertum; pugnabat; nõ quasi à cætem verberans, quem neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterat leparare à caritate Dei (ó securum, nec penetrabile timore peccatus!) illeramen, tam ad cetera omnia impeteritus, à iudicijs Dei trepidat: illi prominimo est, vt ab hominibus iudicetur, sed neque se ipsum iudicat. Nihil mihi conscius sum, inquit, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat* 1. Cor. 4. 1. Thim. c. 9. *me Dominus est. Ac propterea castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum alijs predicauero, ipse reprobus efficiar. Sed quisquis hæc legis reliste, ad tantum verborum pondus attende: Nihil mihi conscius sum, si minime conscius es, quid formidas? quod quis nescit, noxigenè verti poterit? Ah! inquit, Dominus est qui iudicat, cuius oculi multò plus lucidiores Sole, nihil indiscriminatum relinquunt, & væ virtutibus nostris, si remora miser cordia, velut pannus menstrata, abiudicantur! Castigo igitur corpus meum, vitiorum fomitem suffoco, in isto illi, premo, & tanto opere opprimo, vt sub iugum ducam, quasi seruum in vinculis habeam, ne forte, licet multis laboribus exantiat, huius reprobus efficiar, à***

Luc. 12.

Deo meo excidam, æternum à bono Iesu abdicandus. Potuitne S. Apostolus plenius præstare, seu aliorum omnium contemptum, seu magni Dei timorem, ad diuinæ Sapientiæ præscriptum, tanta energia pronuntiatum; *Dico vobis, amici meis, Ne timeamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. ita, dico vobis, hunc timeate.* Annon merito, Domine timeam eum qui cælo terræque stupentibus, nil iniquum relinquet, reuelabit abscondita cordium, scrutabitur Ierusalem in lucernis, tanto que in iudicio, etiam de verbo ocioso, de talentis creditis, & lucro non appositis rationem reposcet? Quid de damnis illatis, peccatis perpetratis fieri, si lucra non addidisse, si bona non peregisse, erit unde damnemur?

Prou. 3.

Iob 28.

Eccli 1.

Quapropter docente nos Domino & Deo nostro sectemur quod iam olim per suum Sapientem, *Time Dominum, & recede à malo. Sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio ostium tuorum. Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Mirumque quantopere se in eius laudem effundat, *Timor Domini, ait, expellit peccatum: nam qui sine timore est non poterit iustificari. Radix sapientia est, timere Dominum, & rami eius longæui. Initium sapientia, timor Domini. Plenitudo sapientia est timere Deum. Corona sapientia timor Domini. Timor Domini, gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætiam, & gaudium, & longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctiois sue benedicetur. Quam magnus, qui inuenit sapientiam & scientiam, sed non est super timentem Dominum. timor Dei super omnia se superposuit: beatus homo cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum cui assimilabitur? Timentis Dominum beata est anima eius. Ad quem respicit, & quis est fortitudo eius? Oculi Domini super timentes eum; protector potentia, firmamentum virtutis, tegimen arboris, & vmbra culum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Timor Domini, sicut paradysus benedictionis. Timor Domini fons vite. Timor Domini, ipse est thesaurus. Quidni ergo verissime canat quedam: Qui timent te, magniterunt apud te per omnia. Quam magna multitudo dulcedinis tue, quam abscondisti timentibus te!*

cap. 25.

cap. 34.

cap. 40.

Prou. 14.

Isaia 33.

Iudith 16.

Psal. 39.

CAPVT II.

Idem timor exaccuitur.

Qui tot bona, de timore Dei, tanta veritate affirmata considerat, fieri ne potest, ut vel non vehementius in eius desiderium inardescat, vel æcerimo dolore non tangatur, si bonorum thesauro, fonte vitæ, exultationis corona, initio, radice, & plenitudine sapientiæ, aut carere se, aut tam tenuiter præ-

prædictum deprehendat: vt non fatiſtimari poſſim, quid ſit quòd hoc ſæculo, diuini timoris excitandi cura, tantopere eſſe remiſſa videatur: an propterea minùs timemus, quia peccamus minùs: ò vtinam! an quòd peccata grauioribus pœnitiſ expiamus? vbi ergo pœnitiſ illæ tam acerbæ, quas à ſe ipsis ob leniã etiam delicta veteres repoſcebant? An potiùs, perfecta noſtra caritas timorem expulit? noui ſcilicet Antonij, qui inſtar illius profiteamur, Noſ iam timeo, ſed amo Deum! & nõnne ad finem ſæculorum decurrimus, vbi caritas refrigeſcit, abundat iniquitas? Et vt cetera miſſa faciamus, *Quis*, vt verbis D. Gregorij Magni vtar, *conſiderare valeat quanta mala, per momenta temporum, ipsis inconstantibus cogitationum motibus perpetramus?* — Et tamen ſcriptum eſt, *Va vobis, qui cogitatis inutile.* Et ruruſum; *In die cum iudicabit Dominus occulta hominum. Qui etiam premitſit;* Inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium. Et ruruſum: *Labia dolofa, in corde & corde locuti ſunt mala.* Et ruruſum; Etenim in corde iniquitates operamini in terra. — Sape ergo electis, etiam nolentibus, in cogitatione ſurripitur, quod in ſe quidem ſolertè inſpiciunt, & ante Dei oculos, quanti ſit reatus attendunt, & cum de his omnibus ſemper iudicia diſtricta pertimeſcant; tunc tamen hæc vehementer metuunt, dum ad ſoluendum humane conditionis debitum vehientes, diſtrictio iudici appropinquare ſe cernunt. Et fit tanto timor acrior, quanto & retributio æterna vicinior: ante oculos autem cordis, nihil inane tunc tranſuolat, de phantaſmate cogitationis: quia ſubductis è medio omnibus, ſe & illum tantummodo conſiderant, cui appropinquant. Eſi ea quæ ſciunt, numquam prætermiſiſſe ſe meminerunt, formidant tamen illa quæ neſciunt: quia videlicet, ſemetipſos diiudicare & comprehendere omnino non poſſunt, atque vrgente exitu, ſubtiliore vrgentur metu. Conſideramus quippe quòd viam præſentis vite nequaquam ſine culpa tranſire potuimus, conſideramus etiam quia nec hoc quidem ſine aliquo reatu noſtro eſt, quod laudabiliter geſimus, ſi remota pietate iudicemur. *Quis enim noſtrum vitam præcedentium Patrum valeat vel ſuperare, vel aſſequi?* Et tamen Dauid dicit, *Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens: Paulus cum diceret, Nihil mihi conſcius ſum; cautè ſubiunxit, Sed non in hoc iuſtificatus ſum.* Iacobus dicit, *In multis offendimus omnes.* Ioannes dicit, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quid ergo facient tabule, ſi tremunt columnæ: aut quomodo virgulta ſtabunt immobilia, ſi huius pauoris turbine etiam cedri quatiuntur? Video Paulum ex illa perſecutionis ſauitia, ad gratiam Apoſtolatus vocatum, qui tamen ſic inter iudicia occulta formidat, vt reprobari ſe, etiam poſtquam vocatus eſt, timeat: Ego me non arbitror comprehendiffe, inquit: vnum autem, quæ quidem retrò ſunt oblitus, ad ea quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum ſequor, ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Ieſu Chriſto. Sequor autem, ſi comprehendam, in quo & comprehenſus ſum. Et certè iam de illo voce Dominica dictum fuerat, *Vas electionis eſt mihi.* Et tamen adhuc caſtigans corpus ſuum, metuit ne reprobetur. *Va miſeris nobis, qui de electione noſtra nullam adhuc Dei vocem cognouimus, &*

- iam in otio quasi de securitate torpemus. Debet profectò, debet in spe esse, non solum securitas, sed etiam timor in conuersatione, ut & illa certantes foueat, & iste torpentes pun-
 gat. Vnde rectè per Prophetam dicitur, Qui timent Dominum sperent in Domino. Ac
 si aperte diceret: De spe incasum presumit, qui timere Deum in suis operibus renuit. Ve
 etiam laudabili vita hominum, si remota pietate iudicetur! quia districte discussa, inde
 ante oculos iudicis, vnde se placere suspicatur, obruitur. Vnde bene per Salomonem dicitur:
- Psal. 113.* Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrum
 amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. Hinc rursum per eun-
 dem Salomonem dicitur, Quis hominum intelligere poterit viam suam? Et nimirum,
 bona malitè quis faciens, conscientia attestante cognoscitur. Cognoscitur, nunc qui-
 dem humanis iudicijs, at diuina quis nouit? Ipse de se loquens D. Bernardus
 ita scribit, Ego, quoniam peccator sum, dissolui non cupio; sed formido: sciens quia non
 peccatorum pessima. Quomodo non pessima mors, vbi non subueniat vita? formido exiti, &
 in ipso contremisco portus ingressu, dum non confido propè assistere, qui excipiat exeuntem.
 quid enim? securène exeo, si Dominus non custodiat exitum meum? heu! ero ludibrium da-
 monum intercepturum me, non assistente qui redimat, neque qui saluum faciat. Nec
 dissimiliter trepidabat magnus ille Theologus cum diceret; Nòne, si quid ma-
 roris concipiendum est, idcirco potius mororem suscipiemus, quòd incolatus noster prolon-
 getur, quòd in sepulcris eius qua circumferimus, diutius hereamus, quòd vt homines, pec-
 cati morte moriamur, cum dij facti simus? Hic me timor exagitat, hic dies noctesq; me-
 cum versatur: nec me liberum spiritum ducere sinunt, hinc futura gloria, hinc futurum
 tribunal, ex quibus illam quidem ad eò appeto, vt dicere possim, Deficit in salutare tuum
 anima mea; hoc autem horreo & auersor. Nec verò illud timeo, ne mihi corpus
 hoc, cum semel defuxerit, ac corruptam fuerit, prorsus extinguatur: sed ne nobile illud Di-
 figmentum, (nobile enim est cum officij sui numeros probè explet, quemadmodum cor-
 tra infame cum peccat) in quo est ratio, lex, spes, eadem, qua cetera anima-
 tia qua rationis expertia sunt, ignominia mulctetur, nihilq; meliore post mortem
 conditione sit: quemadmodum improbis hominibus, atque igne illo digni optandum
 esset! Vtinam membra, qua super terram sunt, mortificem! Vtinam omnia per spiri-
 tum absumam! arcta via, & qua pauci gradiuntur, non autem lata & facili incedent.
- orat. 15.* Idemque alio loco, planè tragicè; Horrendum est, fratres, in manus Dei viuenti inci-
 dere. Horrendus vultus Domini super facientes mala, vitiumq; funditus euertens, & de-
 lens. Horrenda auris Domini, Abelis vocem etiam per tacitum cruorem sentiens. Horren-
 di pedes improbitatem cursu assequentes. Horrenda vniuersi orbis impletio, ita vt nemini
 usquam Dei commotionem effugere liceat, non si in calum auolauerit, non si in infernum
 se contulerit, non si ad Orientem profugerit, non si in profundas & extremos maris sinu
 sese abdiderit. Quid faciemus in die inductionis, hoc est diuina ad nos expostulationis, cum
 nos coarguet, atque ex aduerso stabit, peccata nostra, hoc est acerbos & amarulentos ac-
 tuos conferens, & cogitatione cogitationem verberans, & actione actionem exami-
 nans;

Orbis im-
 pletio, id est,
 quòd totum
 orbè ubiq;
 implet
 praes. Deus.

nans; & imaginis, vitio contaminata atque confusa, dignitatem à nobis exposcens; postremo nos abducet, à nobis meritis condemnatos, hucq; adductos, vt ne id quidem dicere queamus, nos iniquè supplicio affici? Illic autem, quis patronus? qua causificatio? qua falsa defensio? quod artificiosum verborum lenocinium? qua consilij solertia tribunal illud circumscribet, ac rectum iudicium eludet, quod omnia omnibus in statera collocat, actionem, sermonem, cogitationem, virtutesq; cum vitis ex aduerso expendit, vt victoriam obtineat id quod propendet, atque ab ampliore parte sententia stet, postquam non iam provocatio superest, non sublimior iudex, non alia opera per qua quispiam pœnam deprecetur. Hæc & plura Nazianzenus, iudicis summi terrorem penitissimis animi medullis infixisse contestans.

Hoc ipsum sibi prisce illi, omniq; sanctimonie genere conspicui Patres, calcare adhibere soliti erant, eoq; instigatore perperud vsi, tam contento, & nusquam elanguente conatu ad summa peruenere. Tres res timeo, dicebat Abbas Elias; Vnam, quando egressura est anima de corpore; aliam, quando aduersus me sententia proferetur. *L. de comm. punct.*

Mirabantur, qui peregre aduenerant, nec tantam vsquam vitæ duritiem viderant, mirabantur inquam, senis cuiusdam in arido squalidoq; loco, summis in ardoribus perseuerantiam, sudores, inedia, multorumq; annorum in omnium virtutum studio labores; quibus ille sapienter, Torius, quo hinc dego, temporis labores quantilibet, vix vni tormentorum æternorum horæ, repensanda sufficiant. Atqui nos, peibremi isto vitæ nostræ spatio, æternum dolorem quasi lucrifacere oportet, omnesq; tum animi, tum corporis motus, ita domare, vt præclara illa demum & æterna quiete non reperiamur indigni. Et vero magnus ille Agathon, trestoros ante mortem dies, vno in obtutu defixus, apertos & vix nictantes oculos è regione sui quasi atronitus adiecit: quod animaduertentes qui aderant, alienatumq; sensibus credentes, pulsatum interrogarunt, Vbi es Abbas? quibus ille, In cõspectu iudicij Dei sto. At illi, Numquid & tu times? quibus ille, Quantum in mea virili fuit, semper in hoc enixus intēdi, vt Dei mei præcepta seruarem, sed homo sum, & vnde scio vtrum opera mea placeant Deo? cui fratres, Non confidis opera tua esse secundum Deum? Non confido, inquit, in conspectu Dei; aliud enim est iudicium Dei, aliud hominū. Cùm autem in percunctando vellent pergere; Obsecro, inquit, per amorem nostri omnium Domini, quieto mihi esse liceat, nolite mecum loqui, occupatissimus sum: moxq; his dictis, ipse se collegit, vultumq; ac speciem salutaris aduenientis amicos præferens, placidissima mortis somno obdormiuit. Ita fit, Deum timentis animæ, certatim & alacres angeli, præsidio futuri, obuiam prodeunt. Sed permirum quod de Sifio produunt veteres: extremum is vitæ *S. 153 & l. de conuers. Pat.* limitem attigerat, cùm ad eum de Religiosorum more plurimi confluunt; at ecce vident derepentē, nouo faciem eius fulgore radiantem, audiuntq; animo exultante clamantem, En Abbas Antonius venit ad nos: exiguoq; silentij in-

ternallo, En & ipse Prophezarum chorus: & mox, Beati quoq; Apostoli ad sunt: facies verò eius, quasi nouo luminis accessu, semper clarescebat. Visus denique est cum quibusdam loqui, interrogatusque quinam forent? Angeli sancti sunt, inquit, qui animam meam deducturi venerunt, ego verò supplex rogo, vt adhuc aliquam pœnitentiæ peragenda moram concedere ne grauentur. Cumque dixissent Patres, iam satis est pœnitentiæ, Abba, diuturniore nil indiges; Amen, amen, dico vobis, inquit, ne quidem eius initium aliquod attipuisse me memini. Tantum scilicet in eo vigeat timor Dei, facta eleuans, & ad maiora succedens. Verùm instar Solis resplendente vultu, exclamauit, Videte, videte, fratres, Dominus Iesus venit. Quibus dictis, sanctissimè obiit, totusque locus miro quodam gratoque odore repletus est. Sed profectò, & nescio an præ omnibus, & admiror, & perterreor Arsenio, viro tanto, tam grandæuo, tanta in perfectione & virtutum omnium absolutione, traducta vita; cuius lacrymas, continuis riuis defluentes, bibebat appensus sinui pannus, cuius palpebræ perenni erant stillantium fletuum alluione depiles. Et ecce, quando instare lenit mortem, in largos fletus est solutus: cumque lacrymabundi, tali que exemplo consternati fratres dicerent, Quid fles, pater? post tot lacrymas, numquid & tu times? respondit, Ita est, filij, verè timeo: & ille qui nunc in me est timor, ex quo monachus fui, mihi semper comes fuit. O timorem omni securitate meliorem! etenim illo mortuo, benè exclamauit sanctus Pœmen, Beatus es, Abba Arseni, quòd tantopere hac in vita planxeris: qui enim hîc non planxerit, ibi sed serò lugebit! Ita sancti, ita perfecti, nos vbi hæremus?

Bern. serm.
28. de diu.
in illud Iob,
In sex tribul. etc.

Vnde nobis ista dissimulatio, fratres mei? vnde hac tam perniciose repeditas? vnde hæc maledicta securitas: quid seducimus miseri nosmetipsos? forsitan iam diuites facti sumus, forsitan iam regnamus? nõne ostium domus nostræ, horribiles spiritus illi obsident: nõne exitum nostrum, laruales illa facies præstolantur? Quis ille pauor erit, o anima mea, cum dimissis omnibus quorum tibi est tam iucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitus regionem, occurstantia tibi, cateruatim rucere, teterrima illa monstra videbis? quis tibi, in die tante necessitatis occurret? quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? quis deducet filioli mei, memoremur hac nouissima nostra ne peccemus: nam & per ignem nobis transiendum est: & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Ibi enim aurum nostrum vertetur in scoriã: ibi reuelabitur vniuersa impuritas, ibi veritas ipsa accepto tempore, quod nobis interim datum contempnimus, iustitias indicabit. Quid verò illic omnes in scoria nostra, nisi pannus menstruata reputabuntur? quidquid nunc quasi parui pendendo transmimus, palpando regimus, dissimulanda negligimus, quanto illic cruciatu vindex flamma consumet? Utinam magis nunc daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum! forte enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lacryma diluisset. Tam verò, post ignem illum, putas, residuum aliquid inueniretur in nobis? aut tantum erit,

vt audeamus illud vulgari maiestatis offerre, aut eius sic ad stare conspectui: quis ille pudor erit, quæcūq; confusio, post tanta beneficia, tam tepidos, tam imperfectos, tam vacuos apparere ante faciem Dei nostram? Fugiebat Adam vt absconderetur ab eo, post vnius vitæ, pomi veteri gustum: quid nos post tanta flagitia, post tanta facinora presumemus? quando ab hac confusione purgabitur oculus cordis, cui nunc operam dare negligimus, vt irreuerberata acie, veri illius Solis radios valeat intueri? Sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt peccatores à facie Dei. Ingre diatur vtique putredo in ossibus meis, & subter me scæ. *Psal 67.* teat, vt requiescam in die tribulationis huius septima, & in ea non tangat me malum: malum hoc triplex, horroris, doloris, & pudoris. Felix siquidem anima qua fiducialiter inimicis suis loquetur in porta, Quid hic adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies. Felicius cuius opus non arserit, quem superadificasse aurum, argentum, lapides preciosos examen illud inueniet. Felicissimus qui sine vlla nube confusionis, reuelata penitus facie, gloriam Domini speculando, in eandem imaginem transformabitur, & similis erit illi, videns eum sicuti est, vtq; super omnia Deus benedictus, & laudabilis, & gloriosus in secula seculorum, Amen.

CAPVT III.

Cur timor adhibendus.

VT verissimè, ita paucissimis verbis plenissimè dixit Sapiens, Qui timet Deum *Eccel. 7.* nihil negligit: scit enim oculis eius omnia penetrantibus placere nihil posse quod prauum sit, prauum autem esse quod mali aliquid vnde cumque admistum habet: vbi enim aliquid alicunde luxatur, id mancum, decurratum & mutilum sit necesse est. Modicum fermentum totam massam corrumpit: Qui in vno offendit, multa bona perdet. *I. Cor. 5.* Hinc illa vel ad agendum sollicitudo, vel post actionem *Eccel. 7.* formido Sanctorum, ne quid minus rectum, vel operi, vel cogitationi irrepat: quod in tanta, vel hominum infirmitate, vel blandientium sensuum pellacia, vel insidiantium hostium astutia, quam procliuè est? quam pronum est, vt vel formido ab agendis præpediat, vel præcipitatio ad non agenda impellat; impugnet, aut etiam aperte praua cupiditas expugnet, insidietur denique inanis gloria, victor que superet: & nihil istorum, nihil ceterorum, occultum est Deo, nihil dissimulabit Iudex.

Quis ille est qui non aliquando ex negligentia torpeat, qui cupiditatum æstu nõ abducatur, qui affectibus nõ concedat interdum, blandientibus & adulantibus oblectetur, plus iusto ferueat, moderationis affectatione, in languorè soluatur? Quam sape in confinio virtutũ sunt vitia, & in hæc prolabimur, dum illas improvidè sectamur, & nonnũquam vitia sunt, quas virtutes putabamus? Quare, si nec virtutũ securi sumus, ecquid erit vbi cõfidemus? Offerrebat B. Iob holocausta

Iob 1.1. causta pro filijs, Ne forte peccassent: quod ad mores, & ad rem nostram euocans
Lib. 1. c. 18. Beatus Pater Gregorius ait, Holocaustum per singulos filios offerimus, cum pro vna.
secu 35. quæq; virtute, Domino hostiam nostræ precis immolamus, ne sapientia cleuet; ne intel-
 lectus, dum subtiliter currit, aberrat; ne consilium, dum se multiplicat, confundat; ne for-
 titudo, dum fiduciam præbet, præcipitet; ne scientia, dum nouit, & non diligit, inflet; ne
 pietas, dum se extra rectitudinem inclinât, inarqueat; ne timor, dum plus iusto trepidat, in
 desperationis foueam mergat. Sed hæc agere nesciunt nisi hi, qui priusquam cogitationes ad
 opus prodeant, internos suos motus sollicitè frenant. hæc cauere nesciunt nisi hi, qui virili
 custodia munirementem nouerunt.

Ut autem cetera missa faciamus, tria potissimè in rectis operibus, & ca-
Vide Greg. uenda, & timenda, & obseruanda nobis sunt, quemadmodum & iis maximè
in Mor. l. 1. struere insidias Satan assolet: omninoque æquissimum est, vt non minùs ser-
c. 19. seu 38. uandis nobis, quàm ille perdendis, vigilēs excubemus. Primò igitur, & maxi-
 mè nititur, à prima origine, & quasi à capite, quæ volebamus bona sic in-
 ficere, vt deinceps impurum omne sit, quod à perturbato fonte dimanat. Tunc
 autem à capite ruunt omnia, quando ex aliquo fine malo appposito, seu, quod
 clariùs dicitur, intentione non recta, ad agendum accedimus, vt sit quoties o-
 pinionis, fauoris, gloriolæ humanæ, oblectationis, aut alterius minùs recte in-
 tentionis causa, impellimur ad agendum: nobisque quadrat quod de Iudæa
Thron. 1. dictum; *Facti sunt hostes eius in capite.* ideoque vt grauius vulnerato capite, col-
 loque obtorto, totum hominem in potestatem redigere facile est; ita Satan
 actionem eam, quam in prima intentione vitiauit, suam totam sibi facere vi-
 detur. Sin autem hic minimè procedit dolus, tum verò astutus ille conatur,
 vt propositi secunda mens, absque timore incauta pergat, eique latenter vitia
 subiungit, quibus insidiosè in laqueos ipsa procurrat: boni delectationem ex-
 aggerat, vt illabente superbia efferatur: humanam laudem ardentem obli-
 cit, vt, si quæsit non fuerat, saltem oblata delectet: sæpè iusto aliquo opere
 inchoato, ira succenditur; dumque zelus immoderatio mentem turbat, quietis
 intimæ pacem exturbat: grauitati cordis, mœsta & deprimens tristitia insi-
 diatur; dumque iners mœsticia cauetur, in tam effusam læticiam animus effun-
 ditur, vt grauitatis modestiæque metas indecore transiliat. Sed & mille alijs
Psal. 14. occultis modis in fraudem agimur, nec est qui non verissimè dicat: *In via hac
 qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Quàm miserando exitu: ex aliena ca-
Ierem. 41. lamitate vis audire? narrat Ieremias; *Venerunt octoginta viri de Sichem, & de Silo,
 & de Samaria, rasi barba, & scisi vestibibus, squalentes: munera & tui habebant in ma-
 nu, vt offerrent in domo Domini. Egressus autem Israhel filius Nathanias in occursum eo-
 rum de Masspha, incedens & plorans ibat: cumq; occurrisset eis, dixit ad eos: Venite
 ad Godoliam filium Ahicam. Qui cum venissent ad medium ciuitatis, interfecit eos.*
 Hæc est eorum quæ non raro nobis accidunt, imago. Quasi oblaturi in domo
 Domini tui & munera venimus, qui sancta opera iunctis orationibus aggedi-
 mur.

mur: qui velut rasi barbam, nostris viribus minimè fidimus; qui velut concessissis vestibus, nos ipsos, vitamque tranfactam cum pœnitidine lugemus. At vbi minùs cautè in ipsa sanctæ deuotionis & operationis via circumspicimus, Ismaël Nathaniæ filius, hoc est malignus quilibet spiritus, & priore nequior, in occursum egreditur; simul incedit, & plorat; idem virtutis studium simulat, lugentis induit speciem, vt ad cordis intima penetrans, tanto profundius vulnus infigat: spondet etiam altiora, vt securius perimat, Venite, inquit, ad Godoliam; & in medio ciuitatis interficit, non in saltu, non in nemore, sed vbi tota & mera securitas. ita dum ad sublimiora, quàm pro viribus nitimur, qui per præcipitia stetimus, in plano labimur, ipsa que securitate, non secus quàm in mari vento nimium secundo, in scopulos latentes impacti, prædiuitis nauigij, pretiosarumque virtutis mercium, quo insperatiorem, eo miserabiliorem iacturam facimus.

At verò, si nec à capite potuit, nec in ipsa seu fluxione, seu effectione operis eneruare vim virtutis, acrior aduersus extrema cooritur, finemque & actionis extrema vitare, omni conatu, vi, fraude contendit, id vnum sibi superesse sciens ex quo aliquid possit euincere. *Ipsi calcaneum meum obseruabunt, ait Propheta; similiterque asseritur, Ipsa tuum obseruabit caput, & tu calcaneum eius. Solemus enim, vigilantiores in principiis, ab initio solemniùs cauere: quod animaduertens humanæ salutis hostis, vim totam calliditatis pessimæ, ad nos in extremo saltem debellandos, astutè collocat: inde videas, longo iam decurso stadio, meta propinqua lassatos, & à cursu cessantes; videas à sanctarum actionum crebriitate & sollicitudine, ad raritatem remissionemque dessectentes; videas qui iam se diuites esse, iam triumphare credant, cum pauperes & egeni, ne quidem quàm sit curta domi supellex norint; incerta, malis admixta, turgentia, pauca, parua, distorta, mutila, integrorum & perfectorum loco habent, iis que non secus ac lacernis & serutis pauperes, vanissimè atque stultissimè gloriantur. Numquid homo, Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? *Iob 4. Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, cõsumuntur velut à tineis? Quis potest dicere, Mundum est cor meum? quis dicat, In toto quarumlibet actionum mearum tenore, nihil est in exordio, in progressu, in fine vitiarum? Quis ita sibi perpetuò præfens est, vt nihil vsquam eripi, nihil incogitanti patiatir irreperere? Mirro ceteras timendi causas, peccata præterita, de quibus quamuis propitiatis, noli esse sine metu; beneficia ingentia, ingentem gratitudinem exactura, gratias, dona, talenta, tempus, vitam, occasionem, aliaque plurima, quorum, cum tempus fructuum aduenerit, prouentus reposcet, dati que & expensi rationes conferentur: quàm multa, hinc deesse, inde superesse reperientur! profectò, quod asseruit S. Iob, vnum pro mille non respondebimus. Excitet nos hic salutatis timor, nimium que ad torporem pronos vigilate sollicitos cogat.**

Quid verò de amore mei censebo? si totum sibi Deus postulat, si & illi & mihi simul amando, par esse non possum: ergone ab illo excidi? ò quàm iusta formido! quàm vehemens trepidatio! sentio ex hoc amoris mei fonte còsulita, conatus, actiones fluere, sentio illo moderatore cuncta fieri, illo remittente cuncta languescere, inardescere vbi se inflàmatus excitat. Isti profundo, sine fundo immergor, emergendi conatus in irritum est, deprimor dum attollor, dumque enitor sursum, densius infigor, placent vincula, durum est solui. O feram domesticam, ò blandum venenum! mortemque Sardonio risu inferens! Utinam, orbetoto, vociferans exaudiri possem, & singulis perpetuò accingere; Caute, mortales, caute, vos amando, vos perditis; in Deum transferte amorem, & hæc vnica salus est. Sed ò inanisimam inanitatem mihi vndique sexcentis artibus illudentem, idque ex me in nimio studio! ita fit, alios homines cogito, monitos erroris cupio, tum vt mea mihi culpa eò leuior, quò in plures còmunicata videatur, tum vt quasi peritior quidam habear, aliis etiam monendis idoneus: at mihi mea priùs fuerant, quàm aliena, ad viuum vineta cadenda. Verè, si me penitiùs intropicio, non habeo, vnde hunc amoris nimij timorè excutiam.

Insidiosam verò illam, furtim que semper alicunde irrepentem prolem eius, nempe sui suarumque rerum, quam dicunt, complacentiam, quando & quomodo vitabo? hei mihi, quoties illam quæro, diligo, amicissimè còplector, nec extimesco, sed præfido, serpentem in sinu fouens; & quàm penetrabilis perniciosisque; afflatus serpens! quàm grande malum, malorum omnium pestifera radix, angelorum prima còcussura, & extrema prolapsio! ecce tã letifero istius excæte sibilo, purissimi illi spiritus à cælis ad inferna detracti sunt, ego verò, quàm nimiam temeritate, eodè illo toties delinitus, nihil impalleo, sed caelestem mihi & stabilem gloriam spondeo? dico quod quidam olim, *In calum conscendam, ascendam super altitudinem nubium, super astra Dei exaltabo solium meum, & similis ero Altissimo: nec ab illa auditione pessimæ timeo: Verum tamen, quidquid ipse tibi placueris, imò quia tanto opere tibi placuisti, quia omnia tua tibi vt placeres fecisti, Amen dico tibi, operarie iniquitatis, recepisti mercedem tuam, ad inferos in profundum lacu detrahetur superbia tua.* Verè, Domine Deus meus, quoties hæc attentius cogito (fateor tamen, rariùs & leuiùs quàm deberem cogito, da gratiam, vt frequentiùs & viliùs;) quando tamen cogito, pertimesco, nec video quid à me sperare possim; totus enim isti complacentiæ implicor, neque sic hedera multiplicibus fibris vitem, vt illa singulas meas actiones circumamplectitur, stringit, strangulat, enecat, nec mihi vsquam, nisi à leuero iustoque, ad clementem & misericordem Deum, effugium patet.

Isaie 13.

CAPVT IV.

Quis Timor commendandus.

HÆ sunt quas dixi præter plurimas alias, Religioso etiam viro, iustæ timendi causa. At quemuis timorem nolim, cum desidero qui optimus est. Varia enim sunt timoris laude digni genera, quæ breuiter in decabo, ab imperfectiore gradatim inchoans. Primus timor est, cum pœna peccato decreta perterret, ideoque licet peccati oblectatio non respuatur, à peccato tamen timore incurrendæ pœnæ abstinetur.

Vide Aluarum de Paz tom. 2. l. 1. p. 1. cap. 5.

Alter est, cum non solum pœna grauissima, sed etiam damna ingentia timeantur: nam peccato letali, longè maxima gratiæ, virtutum, laborum, mercedis, cælestis habitationis, Sanctorum & Angelorum societatis, gloriæ corporis & animi, summi denique & infiniti Dei, non reparabilis iactura fiet: quarum rerum qui dignè pretia æstimabit, erit vnde tanta damna timeat, seque summæ damnet amentia, quod leuissimè præteruolantis voluptatis causa, res omnium æstimatione longè maximas, improvidè profundat.

Hic tamen duo timores, quia vel pœnæ, vel damni formidine mouentur, nondum ad perfectæ virtutis gradum pertingunt, initium sapientiæ & virtutis tantum sunt, non ipsa sapientiæ & virtutis: at ex his proximè patet adscensus ad tertium illum timorem, quo timemus ne peccemus, non solum ob pœnas & damna, sed etiam ob culpam & offensam, quæ in Deum conditorum nostrum admitteretur. Atque hic timor, filiorum quidem est, sed nondum manumissorum, verum sub ferula & pædagogico trepidantium; patrem amantium, ideoque eum iritare nolentium, ad cuius irati nulla, tot sunt damna, tot supplicia secutura.

Hinc autem ad quartum & perfectissimum timorem planus est aditus: qui timor, est reuerentia bonitatis diuinæ, quam omni cultu, obsequio, obedientiâ, reuereri & colere est æquum; tantamque in illa iritanda indignitatem esse censemus, vt nihil non vel damnorum subire, vel tormentorum perpetui animi potius inducamus, quam vt aduersus tantæ bonitatis leges insurgere temerarij ausimus. Hic est ille *timor Domini sanctus, psal. 18. permanens in seculum seculi*: Timor, non iam initium, sed ipsa sapientiæ, & se omnibus superponens, aliasque illas omnes, quas è Sapiente recensuimus, laudes assequens. Plura de hoc S. Augustinus variis locis dissent, eumque timorem castum nuncupat, quod nomen præ ceteris mihi arridet: nec enim virtutis vllius magis quam castitatis, proprius est ingenuus quidam pudor, ad illicitas delectationes verecundè erubescens, & oblatum vitium rubore

Trad. 9.

pudico refutans; qui aptissimè huius timoris verecundiam & honestatis amo-
 rem significat; quando enim castus dicitur, dicitur esse eiusmodi, vt, si vsquam
 de Dei offensa periclitetur, delicato protinus honesti amore, verecundiâ suf-
 fundatur, neque ferre possit fœdos coram purissimo sponso suo Deo, vilius rei
 procreata amores aut complexus. In hoc argumento latè versatur idem San-
 ctus Pater in primam D. Ioannis scribens, vbi ait: *Incipiat timor, quia initium sa-*
pientia timor Domini. Timor quasi locum preparat caritati: cum autem cepit carita-
habitare, pellitur timor, qui ei preparauit locum. Quantum enim illa crescit, ille decre-
scit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior caritas, minor timor: minor
caritas, maior timor: si autem nullus timor, non est quâ intrat caritas. sicut videmus perse-
ctam introduci linum; quando aliquid sinitur, serâ prius intrat, sed nisi exeat non succedit
linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrat
vt introduceret caritatem. Pluribusque interiectis, quærens quomodo caritas ex-
pellat timorem, cum dicat Psalmista, timorem Domini permanere in seculum seculi:
 hunc postremum, esse castum timorem asserit, aitq; non posse meliùs explana-
 ri, quid inter vtrumque intersit, quàm duarum mulierum exemplo; quarum v-
 na quia maritum timer, à voluptate quam perfrui cum alio optaret abstinere, o-
 ptat mariti absentiam, sed eo absente ne tamen resciscat timer, & abstinere; hæc
 profectò non est casta: At alia est, quæ immunditiam nullam amat, sed casti-
 tatem, fidem, immaculatum thorum, hæc viri præsentiam optat, ne deseratur ti-
 met, non timer ne puniatur. Vtrumque animum sic erga Deum affectum allo-
 quitur Augustinus, & quidem postremum his verbis; *Alloquamur & animam illâ*
quæ habet timorem castum permanentem in seculum seculi. Putamus, inuenimus illam,
vt alloquamur illam? Putas, est in hoc populo? Putas, est in ista exedra? Putas, est in hac
terra? Non potest non esse, sed latet: hiems est, intus est viriditas in radice. Sed vbi cumque
est anima illa, vtinam eam inuenirem: & non aures suas præberet mihi; sed ego meas aures
illi. Illa me doceret aliquid, potius quàm à me disceret: anima quadam sancta, ignea, &
desiderans regnum Dei. hanc non ego alloquor, sed Deus ipse; & patienter viuente in
hac terra ita consolatur: Tam vis veniam, & ego noni quia iam vis vt veniam. Noui qua-
lis es, quàm secura expectes aduentum meum. Noui quia molestia est tibi. Sed magis, ex-
pecta, tolera: venio, & cito venio. Sed amanti tardum est. Audi eam cantantem tanquam
lilium de medio spinarum: audi suspirantem, & dicentem, Psallam & intelligam in via
immaculata, quando venies ad me? Sed in via immaculata meritò non timer: quia perse-
cta caritas foras mittit timorem. Et cum venerit ad eius amplexus, timer, sed securiter.
Qui timer, cauet, & obseruabit se ab iniquitate sua, ne iterum peccet: non, ne mittatur
in ignem, sed ne ab illo deseratur. Et erit in illa; quid? Timor castus permanens in secu-
lum seculi. Ista & plura ibi D. Augustinus.

Psal. 100.

Sed annon obseruasti, mi frater, quanti faciat, quàm suspiciat, veneretur,
 nec facilè reparari credat, virum illum, qui casto timore sit præditus? quid est
 ergo vnde nobis eum æstimatores blandi atrogamus? quàm verendum, ne tan-
 tam

tam eius, quantam audiuius, præstantiam necdum agnoscentes, idè nobis eum tribuamus, quòd nobis minùs nota sit egestas nostra? si verò, non immeritò timemus, ne casto illo timore careamus, nonne par est demissimè sentire de nobis, qui ne quidem verum Dei timorem nobis insitum certò asserere possumus? Sed vt ad D. Augustini doctrinam redeam, eleganter & copiosè eam tradidit Cassianus, iis quæ mox addam verbis, ordine tamen commutato. Duplex est timoris gradus, inquit, vnus incipientium, id est eorum qui adhuc sub iugo & terrore feruili sunt, de quo dicitur, *Et seruus Dominum suum timebit. Et in Euangelio, Jam non dico vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Et iterum, Seruus, inquit, non manet in domo in æternum. Imbuat enim nos, vt ab illo pœnali metu, ad caritatis plenissimam libertatem, & amicorum filiorumque Dei fiduciam transeamus. Denique beatus Apostolus, qui seruilem illum timoris gradum, olim caritatis Dominica vigore transcendat, inferiora despiciens, maioribus se ditatum donis à Domino proficitur: Non enim, inquit, dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis, & sobrietatis. Ita de hoc timore Cassianus, qui de altero perfectiore sic antea disseruerat, *Quisquis fuerit in caritatis perfectione fundatus, necesse est, vt ad illum sublimiorem timorem, gradus excellentiore conscendat, quem non pœnarum terror, non cupido pramiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum patrem, vel fratrem frater, vel amicum amicus, vel coniugem coniunx sollicito reueretur affectu; dum eius non verbera, neque conuicia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solum actibus, verum etiam verbis, attonita semper pietate distenditur, ne erga se, quantumcumque feruor dilectionis illius in te pescat. Cuius timoris magnificenciam vnus Prophetarum eleganter expressit: Diuitia, inquit, salutis, sapientia & scientia, timor Domini ipse thesaurus eius. Non potuit timoris istius dignitatem ac meritum magis euidenter exprimere, quàm vt diuitias salutis nostræ, quæ in vera sapientia Dei scientiaq; consistunt, diceret nisi à timore Domini non posse seruari. Ad hunc igitur metum, non peccatores, sed sancti, prophetici inuitantur eloquijs, dicente Psalmographo, *Time Domini omnes sancti eius, quia nihil deest timentibus eum. Qui enim hoc timore Dominum metuit, certum est perfectioni eius nihil deesse. Verum supra omnes quæ vel dici vel fingi possunt, timoris Dei laudes, id mihi videretur esse, quod apud eundem Isaiam, cum Christi Domini nostri plenitudo spiritus enarratur, postquam dictum est, *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientia & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientia, & pietatis, ad extremum denique, velut summum quiddam, & verbis addito pondere, pronunciat, *Et replebit eum spiritus timoris Domini: quali non satis fuisset, vt in prioribus, dicere, *requiescet, nisi etiam & replendum spiritu timoris asseuerasset. Timoris enim Dei, vt loquitur Cassianus, tanta est vbertatis magnitudo, vt quem semel sua virtute possederit, non partem, sed totam eius occupet mentem. Nec immeritò: Illi enim, quæ nunquam excidit, caritati coharens, non solum replet, sed etiam perpetua & inseparabili eam, quem ceperit, possidet iugitate, nullis lætitiæ temporalis, vel voluptatum oblectationibus imminutus: quod nonnumquam illi qui foras mis-******

Collat. 11.
cap. 13.
Ioan. 15.
Ioan. 8.

Isa. 33.

Psal. 33.

Cap. 11.

titur

De virtutibus c. 11. titur timori, euenire consuevit. Sed longè optimè ac dilucidissimè, licet more suo sine ornatu verborum, quem ætas illa spernebat, Guil. Parisiensis, Spiritus timoris, ait, specialiter eum repleuisse dicitur, quantum ad gratiam reuerentia, quia secundam hominem prouidebat Deum in conspectu suo semper; propter hoc, vltra omnem cogitatum nostrum, repleret sanctissimam animam illius gratia reuerentia; sicut dicit Apostolus in quinto ad Hebræos, In omnibus exauditus est pro sua reuerentia. Hæc autem gratia mirabiliter purificat animas videntes, siue prouidentes Deum, nec patitur aliquod culpabile, vel accedere ad ipsas, vel remanere in ipsis. Tanta quippe reuerentia est diuina maiestatis immutibus illam, vt nihil culpabile in seipsis sustineant, & si quid tale in se perpendant, tota festinatione excutiant, atque à se abiciant. Quare sicut benedictus Redemptor plenus erat visione Patris, sic erat plenus & reuerentia eiusdem; & sicut visio qua Patrem continuetuebatur, incomparabilis erat caritatis ad omnium aliorum Patrem videntium visionis, sic reuerentia ipsius erga Patrem ad reuerentias aliorum. Quare & puritas sanctissima anima illius, ad puritates non solum animarum humanarum, sed etiam angelorum, omnino incomparabilis, hoc est super omnem comparationem maior. Quia igitur timor reuerentia ita est purificans & sanctificans eos in quibus est, specialiter ipsum repleuisse dicitur, quem incomparabili sinceritate purificauit. Ita Parisiensis. Quando ergo, etiam in ipso omnium rerum Domino Iesu Christo, tantopere se diuini timore extulit, quis non videat ad illum in nobis comparandum & perficiendum, omnem operam laboremque nostrum optimè fore collocatum?

*Tomo 5.
Bibl. SS.
Pat. c. 17.*

Cap. 16.

Iam verò quòd timore animum nostrum purgatorem reddi Parisiensis dixerit, & hoc apud omnes in confesso est, & aptè demonstratur à Diadocho his verbis: Sicut vulnera que corpori accidunt, postquam squalida & sine curatione relicta sunt, medicinam si à mediis adhibeatur, non sentiunt, purgata verò, sentiunt vim medicamenti; sic anima quamdiu ex parte curationis est, & lepra voluptatis eam totam operit, metu Dei non potest sentire, quamuis ei tribunal Dei horribile & prepotens perpetuò denuncietur. Postquam verò magna attentione purgari ceperit, tunc sentit veluti remedium quendam vitæ Dei metum; qui eam vrit arguendo, tamquam igne quodam sine dolore. Proximè verò præcedente capite dixerat, Nemo potest in sensu cordis Deum amare, nisi prius toto corde eum timeat; timore enim Dei efficitur, vt anima, pura & mollis efficiat, ad exerceendum caritatem se applicet; numquam verò aliquis, eiusmodi metum Dei qui dictum est, capiet, nisi extra omnes vitæ huius sollicitudines positus fuerit. Cum enim quietem, & multam curarum vacuitatem mens ceperit, tunc metus Dei sollicitat eam, & purgat multo enim sensu, eiciens omne terrenum & crassum, vt sic eam ad amandum valde bonitatem Dei adducat. Quare metus quidem cum mediocri caritate, eorum est qui adhuc purgantur, perfecta verò caritas eorum qui iam purgati sunt, in quibus non est amplius timor: — sed potius ardor & agglutinatio continua anime ad Deum per operationem Spiritus sancti, sicut scriptum est, Adhæsit anima mea post te: nec autem suscipit dextera tua. Si autem nec expurgatur animus, nec ad perfectam caritatem absque Dei metu peruenitur, numquid non à via veritatis aberratus; quoties timor Dei, nullo unquam

quam tempore in corde vigerit, & nihilominus quasi ad summam perfectionem contenditur? nonne & id ipsum à deceptione superbiam ortum ducit, quæ primis insudare dedignans, ad summa contendit, at neque summa neque prima consequens, vtriusque excidit? Timore igitur Domini stabiliamus progressus nostros, credamusque hoc fundamento non probè iactò, ruiturum denique, id quodcumque in altum euexerimus.

At longè pulcherrima, nobisque ad id quò tendimus omnino necessaria est illa quæ apud D. Bernardum legitur, duplicis timoris præclara distinctio: *Vides Epist. 87.* certè, quem timorem tibi incurrere nitor, inquit, non qui tibi sit laqueus desperationis, sed qui spem acquirat beatitudinis. Est siquidem timor, inutilis, tristis, crudelis: qui veniam, quia non querit, non consequitur. Et est timor, pius, humilis, fructuosus, qui cuiuslibet quantumlibet peccatori, facile misericordiam promeretur. Talis timor generat, nutrit & seruat humilitatem, sed mansuetudinem, sed patientiam, sed longanimitatem. Quem non delectet tam inlyta proles? Alterius verò misera soboles est, pertinacia, immoderata tristitia rancor, horror, contentus & desperatio. Et interiectis nonnullis pergit; *Cave gloriationem, tolle & securitatem, quatenus vtiliter semper sollicitus sis, semper humiliter pauidus, non illo scilicet timore, qui, sicut iam dixi, prouocat iram, sed illo qui mitigat. Qui horribilis timor, si quando tuum terrendo pulsauerit animum, — fidenter responde & dic: Male quidem egi, sed factum est, & iam non potest non fieri. Quis scit, si hoc mihi Deus expedire prouiderit, & de malo meo, ipse qui est bonus, bonum mihi operari voluerit? Malum ergo puniat quod ego feci, bonum autem maneat quod ipse prouidit. Nostri quippe inordinatis seu voluntatibus, seu actionibus, nouit bonitas Dei vti, semper quidem rectè in sui ordinis pulchritudinem, sapè etiam piè in nostram vtilitatem. O clementissima circa filios Adam diuine pietatis recordatio; quæ sua non desinit largiri beneficia, non solum vbi nullum inuenit meritum, sed plerumque etiam vbi totum inuenit contrarium! — Volo ergo te timere, & non timere, præsumere, & non præsumere. Timere vt peniteas, non timere vt præsumas, porro præsumere ne diffidas, non præsumere ne torpescas. Ita Bernardus, ea docens quæ moderando timori obseruatu necessaria sunt, & quæ mox ad vsum Deo dante referemus.*

Ceterum quod de timore perfecto & imperfecto, in medium protuli, eo confilio feci, vt clariùs quid rei sint intuentes, certiore & destinatoriore conatum ad comparandum frugiferum istud timoris donum afferamus. Donum enim est; & à Deo tum postulandum, tum expectandum; ita tamen, vt quamuis vnus industriæ nostræ partus esse non possit, otiosis & cessantibus haud adueniat, sed laborantibus & nitentibus iustus & liberalis largiatur Deus. Sed in hoc adnifu quædam obseruanda sunt.

CAPVT V.

Quomodo timor commendandus.

Primò, catendum est ne plus æquo properatâ nostri fiduciâ, timorem illum damni vel pœnæ imperfectû, mentis in timæ medullis insinuare negligamus: ima qui non pertransierit, non perueniet ad summa; & initia qui contemnit, ad extremorum perfectionem non pertinet. Habet etiam timor iste, ad arcenda mala, & cupiditates coërcendas vim maximâ, quam in tanta voluntatis humanæ infirmitate ac inconstantia, in primis cōseruari ac vigere necessum est. Sic autem cōseruari, imò & augeri cupio, vt timor quidem damni, timor que pœnæ augeatur, id verò imperfectionis, quæ forinsecus & aduentitiè adiuncta est, nempe prauæ delectationis cupido, minuatur, imò extrudatur; nec enim in Religiosi viri animo, eiusmodi labem insidere, ferendum esset.

At, inquires, vbi nullus prauus amor superest, timor perfectus adest, cum ideo reddatur imperfectus, quod malum amaret, si pœnâ nō timeret. Verum, sit necne in eiusmodi homine timor perfectus, nihil assero, nihil moror; id dico, ex timore pœnæ vitare malum, nullo modo ad amaram, non nihil adhuc imperfecti habere; nec enim ita perfectus est, ac si solius virtutis, soliusque Dei gratia vitaretur; atque hic timor, quâdiu hanc miserâ peccantemque vitam viuimus, vtiliter admodum animû insidet: nec est à ratione alienum, si in eo viro qui perfectum timorem possidet, aliquam etiam actionem timor imperfectus exprimat, quis enim abs vllò hominû exigat, vt omnia semper perfectissimè faciat: & quis nesciat, remissioni, alternationi, varietati, iustissimas esse leges & tempora?

Sed ne fallaris nomine, obserua diuerso significatu. dici aliquid imperfectû, Primò ita vt deficientis & à recto alieni aliquid inesse indicetur, qualis est ille timor, qui amat voluptatē, timet pœnâ, eiusque solius formidine à malo concupito abstinet: hæc enim illicitæ voluptatis cupiditas adiuncta, praua est, & imperfectio est, reprehensione digna. Aliter imperfectû dicitur, quod & vitio propriè careat, & careat vera & absoluta perfectione, qualis est timor pœnæ, cuius vnius formidine sic abstinetur à malo, vt licet non ametur malû, eius tamen vitandi, sola tunc ratio pœnæ, menti occurrat; quæ ratio, iusta quidē est (quid enim iustius, quàm tantis suppliciis occasionem negare?) nihilque mali admittendum habet, cum nihil prauæ cupiditatis animum tangat; at tamen non ea est, quæ ex summo virtutis Dei que amore sit profecta, ideoque (quod est imperfectum esse) non omnino perfecta est.

Alterum etiam notatu dignû est, non iisdem è rebus huius vtriusque timoris concitandi, petenda esse argumenta, cumque; vtroque nos instructos esse, & ab

imperfectiore ad perfectiore progredi oporteat, eas in nobis esse cogitationes
 ciendas, quæ timori Dei excitando, cōseruando, perficiendo conferant. Diuinæ
 seueritatis exempla, angelorum in demones miseranda conuersio; tot myriadū
 Deum ignorantū inopina, sed crebra damnatio; diuitum, sapientum, nobiliū,
 eorumq; quos deprædicant homines, nulla apud Deum æstimatio; gratiæ, pro-
 uidentia, prædestinationis modus & ratio, modū omnem & rationem ingenij
 nostri superans; eorum, quos casus dicimus, neque tamen Deo improuisi sunt,
 conuersiones admirandæ, tam in priuatis quàm publicis rebus, vita, morte, pa-
 ce, bello, lætis, tristibus, secundis, aduersis, gloria, infamia, ruina, perseverantia,
 & reliqua varietate infinita; sed præ omnibus, æternitatis, sine caritū, miser-
 rima, vel beatissimæ, immensum vtrimque pondus; & quod harum alterā, per-
 spicacissimo rigidissimoque Dei iudicio, & sententiā numquā euomendā, om-
 nes homines, breui, post huius effluentis vitæ momentū, necessariō subibimus.
 Hæc sunt quæ sapiens in memoriā reuocata, salutari timore sauciabunt: quæ ta-
 men eadē, si non tantopere ad diuinorum iudiciorum terrorem, sed ad sapien-
 tiæ & prouidentia diuinæ tum admirabilitatē, tum in eos quos adamauit po-
 tentem benignitatem flexeris, castum, quem diximus, timorem excitabis: illum
 tamen præ ceteris pariet & fouebit crebra beneficiorum diuinorum cum gra-
 titudinis affectu recordatio, sed eorū maximè beneficiorū, quæ tibi vni, & ma-
 ximè immerenti, multa & magna collata fuisse recensebis: itemque humilis &
 sedula, immensæ maiestatis diuinæ, nos & nostra omnia perpetuō respectantis,
 nobisque intimè semper adstantis contemplatio, etenim si ex abiectissima ple-
 be pauperculus, potentissimi Imperatoris miseratione in filium adoptetur, no-
 bilissimoque huic, & in corona Magnatum conspicuo parenti adstet, quanta
 futurū putas vt eum veneratione prosequatur, composito ad modestiam oculo
 respectet, caueatque ne ex vlllo corporis totius habitu, erumpat quod meritō o-
 culos eiusmodi patris offenderet: quid nos igitur decet, vilia ex nihilo gemi-
 na, peccati tabo fœdatos, perduellionis reos, æternorum fomites ignium? quan-
 ta sollicitæ mentis reuerentia Deo adstare, purissimisque angelorum spiritibus
 admistos erubescere, & omnia in nobis contentissima vigilia circumspectare,
 ne fortè aliquid prodeat quod tantæ maiestatis præsentia sit minus dignum? *Boët extra-
 mo lib 5.*
Magna nobis est, si dissimulare nolumus, necessitas indicta prohibitæ, cum ante oculos a-
gimus iudicis cuncta cernentis, verè & probè suam consolationem claudens dixit *consol.*
 Seuerinus.

Denique cum timore Dei tangeris, velim vt non magnopere angaris, missum
 potius facias, vt te timor impellat; habet ea disquisitio parum admodū vtili-
 tatis, nitendum vt sit vigeatque timor Dei, modò ex his, modò ex illis rationi-
 bus, crebrius tamen ex illis quæ à beneficiis, à iudicio in futurū incerto, à sum-
 ma Dei maiestate & dignitate ducuntur. Quibus permotus, si nihil actionum
 tuarum indiscussum abire permiseris, crebrò, sincerè, seuerè, de singulis à te

ipso rationem exegeris, pacatè in res ipsas non effundaris, tuis animi motibus scrutator accuratus inuigiles; ne dubita, timorem illum sanctum, siue sciens, siue nesciens, consequèris.

C A P V T VI.

Quomodo timore Dei utendum.

Latissimè spectat Dei timor, eiusque vis in omnem humanæ vitæ partem vsque quaque diffunditur, quare ad quoduis virtutis exercitium, cuiusuis peccati fugam valet plurimum, possetque multiplex eius vsus prolixius recenseri; paucis eum notabo qui Religiosum magis deceat.

Opto igitur, mi frater, vt ne vnquam à memoria tua recedat, tibi coram eo esse contremiscendum, qui potest & corpus & animum mittere in gehennam, mitteretque si grauioribus peccatis obnoxium, æternæque beatitudine indignum repererit; qui in cogitatus & actus nostros intentissimè prospicit, eorumque partes omnes exquisitè iustitiæ lance perpendit; qui quem vult, iustè derelinquit, quem vult, piè atque miseranter ad gloriam prouehit; qui nullius egens, benè facit quia bonus est, iustè iudicat quia iustus est, quos vult amat quia solus amore dignus est, & solus amore dignos facit; potens & sapiens est, potentesque & sapientes non idcirco abiicit; bonus & verus est, ideoque humiles & abiectos erigens, inflatos & sibi præidentes aspernatur; solus bonitatis, virtutis, gloriæ, salutis æternæ largitor optimus; spiritus, infinita quadam puritate puritatem omnem procreatam antecedens, obsequio, amore, cultu, reuerentia infinitè (vt sic loquar) infinita dignus; Deus, cuius ira nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem, coram quo, in reuerentiæ & pudoris argumentum, ipsa Seraphim faciem velant, conditor, & supremus omnium Dominus, qui apud Prophetam ait, *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: — Omnia hæc manus mea fecit: ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & tremementem sermones meos? Audi quid loquatur; terra, cælum, quidquid cæli ambitu continetur, estque vel sola Dei voluntate, vel indita naturis facultate, vel hominum industria & arte perfectum, ea omnia quasi sua summa sibi iure vendicat, & vt res nihil vix aspectione dignatur; ad eum verò qui se pauperculum agnoscit, cuius animus timore Dei exornatur, benignus respicit, eumque suis donis augendum, felicitate cumulandum, bonus Dominus, miserator & misericors suscipit. Hunc igitur hac ratione frequenter tibi præsentem facias, reuerearis & timeas velim.*

Huius autem timoris vim eò maximè dirigi, ac de industria destinari cupio, vt dicere cum sanctissimo Iobo possimus aliquando, *Verebar omnia opera mea: quod est, in omni meo cogitatu, & opere, perpetuò mihi comes adest timor Dei, hic me dormitantem excitat, torpentem stimulat, cessantem instigat, securam,*

Iob 9.

Isaia 66.

Iob 9.

enrum, de insidijs admonet: scio cui milito, cui placere, cui me probare cupio, scio quia non *Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus*, ideoque omnem operum meorum partem, initia, progressum, finem, trepidus vereor, attentus dispicio, ne quid sit, quod perspicacissimis iudicis iusti oculis prauum videri queat. Sed & postquam omnia, quantum potuero, circumspexero, *Quantus sum ego, vt respondeam ei; etiamsi habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor: Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint quasi mundissima manus mea; tamen sordibus intinget me, & abominabuntur me vestimenta mea; Verè scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo.* Hoc verò si vit ille Dei ore laudatus, verè dixit, si etiam bonis suis timuit ne vel in radice, vel in medulla, vel in aliqua latebrosa parte, vitium resedisset; quid nobis miseris fiet, quorum & tam multa mala sunt, & bona tam emarcida, nutantia, & exstantibus perspersa nauis? Vigiles igitur in omnem partem excubemus, oculisque instar sanctorum animalium vndique patentibus, antè & retro contentissimè caueamus, ne nostris actionibus aliquid vndecumque prauitatis irrepat. Sin autem nihil nisi rectum apparet, Deo tamen iudice timeamus, & longissimè ab omni fiducia nostri recedamus, meminerimus, *nondum nos comprehendisse, sic esse legitimè certandum & currendum vt comprehendamus*, ridiculam esse ante prælium gloriationem, temerarium ante victoriam triumphum, cecidisse vel sola victoria referenda præfidentia multos, vicisse infirmiores quidem, at sibi vndique timentes, & cautos. *Militia est vita hominis super terram, circumstant atrocissimi, licet visum effugientes, hostes, nec pacem nec inducias paciscuntur, insidiantur si cessant, suamque improbi opportunitatem captant, vt pacis obtentu, laxatis excubiis, repentina imparatos aggressione opprimant.* Sed neque in pace, militem otiosi oportet, aggerè comportare, velitationibus excurrere, profectionibus bellicis exerceri, variisq; ne eneruis fiat laboribus durari necesse est: at qui, *si huius sæculi filius*, in pace vt sapiens aptabit idonea bello, probaturq; timor prouidus futuri, te, *filium lucis*, prudentiorem reddet timor Dei, facietque vt numquam hac in vita mortali, fidentia securitatis elanguas, sed pacatis vt videtur rebus, venturæ tempestati animum obfirmes, crebraque sanctorum operum exercitatione pugnacior, & impetrato gratiæ præsidio firmiore, munitior euadas.

Alterum quod semper à Dei timore proficisci velim, istud est, vt numquam in mentè veniat diuitiarum & abundantia tuæ, si quando præclari aliquid egisse videberis; nã præterquam quòd hac tui opinione ad summam egestatem deuolueris, hoc est semper præ oculis habendum, nihil te tuis viribus aut egisse boni, aut agere posse, à Deo & per Deum esse atque conseruari bonum omne, si verò vel illud vel partem eius tibi sumseris, suum sibi ab ingrato resumet Deus, te tibi nudum & inopem relinquet. Faciet igitur hic timor, vt ipse tibi nihil tribuas, gloriam Deo, tibi modestiam & humilitatem serues.

Ne tamen improviso impetu in præceptis feraris, sua etiam hic timor moderatione indiget, cauendumque ne rectum & à Dei spiritu profectum timorem dolosus Satan ad praua detorqueat. Nonnumquam enim, vbi animi iudicium Dei terrore salutariter permoueri, & non facile ad securum torporem reuocari posse videt, veterator vaser accedit, obsecundat, timorem aggerat, variè implicat, & vndique ita multiplicem ostentat, vt homo peccandi terrore circumuallatus, nihil se sine peccato vel aggredi, vel omittere posse credat: dumque his implicatur angustiis, nec se ipse valet extricare, dum solam, quæ hinc in audendo sita est, salutem timor expellit, vel tristi otio emarcidus languet, vel scrupulorum inanissimis vmbriis, femineum in morem, territandus infenescit. At qui sanctus Dei timor modum inani pauori ponit, & vbi certam cur peccaretur rationem non videt, vbi se ipse respexerit, & pro suo modulo cur sibi agendum, vel cessandum sit, viderit, fidenter in alteram partem fertur, scitque Deum moderatam, & bonam (vt aiunt) fidei, & ex æquitate diligentiam à nobis exacturam, quæ vbi sincere mente adhibuerimus, fallamur licet, haud tamen nostro periculo fallamur: at grauius erit periculum, si, quia supra hominem sapere, supra quam par sit securi esse volumus, cessamus, & officij nostri partibus desumus. Itaque vt timori Dei fiat satis, imperturbatum mentis oculum in id quod agendum imminet defigamus, tum deinde, quod bonum & rectum iudicauerimus, magna tranquillitate peragamus; sin autem obscurum & controuersum est, quid potissimum fieri debeat, vel alios prudentiores, vbi res moram patitur, consulamus, vel, vbi desunt, vrgetque gerendi articulus, id agamus quod ratio potentior suadet, aut si nulla potentiore ratione in æquilibrio dubitamus, sequamur vtram voluerimus, Dei quidem implorata ope, sed longiore tamen cessatione abiecta, ac etiam (aliud melius nisi occurrat) sorte ad eligendum iacta. quid enim periculi aut imprudentiæ hinc est, cum vtrunque iustas esse rationes iudicatur: imò verò, & securitatis esset, & prudentiæ, hac saltem via legitima, sese lenticudinis & trepidationis implexa tyrannide liberare.

Hic tamen, neque hic tantum, sed omnino in omnibus, diligenter etiam cauendum, ne pusillos animos timoris assuetudine induamus; non est à Deo ille timor, à Deo quæ sunt, ad magna, ad excelsa, & summo Deo digna, ad fiduciam, ad aternitatem, ad perennantia bona ducunt: nec mentiebatur qui Domino exultans clamabat, *Saluum me fecit à pusillanimitate spiritus. & tempestate: Beatus vir qui timet Dominum, in memoria aterna erit: Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius, non commouebitur donec desiciat inimicos suos.* nec putauit contraria, sed maximè consonantia canere cum alio quodam psalmo concineret, *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Quid verò, iniquies, quanta erunt isti audacia, quos ne quidem tanta maiestas exterreret: vbi non erunt audaces, si etiam contra Deum, in rebus pessimis & letantur & audent: at ecce, inquit, *Dominum non inuocauerunt; illic trepidauerunt timore vbi*

non erat timor. Habet interdum suos audaces impetus cupiditas, constantem fortitudinem non habet, sed neque habere potest: solius enim est virtutis, quæ vera nulla, nisi à Deo & cum Deo est. Pavidus verò, & quouis terrore consternabundus animus, hærens, nec se in partem vllam explicans, non nisi abs hominum osore spiritu esse potest, qui minis & terroribus implicandis, effingendis, exaggerandis torquere, pigro quæ ignauitæ torpore lentare, humiliq; depressos nec se erigere audentes affligere amat. Hic itaque vanus timor, quasi clauus clauo, ira veriore timore pellendus: vanus est timor quo nullum, aut non nisi rardum admodum, consultationi & prudentiæ finem ponimus, moderatam tantummodo cautionem à nobis exiget Deus; at verus est timor quo timeamus, ne otiosi nobis dies & anni, sine fructu ad æternitatem duraturo pereant, ne toti pusillis timoribus implicati, ad ea quæ sola curanda, sola magni faciendæ essent, numquam nos pro dignitate erigamus. Meminerint qui eiusmodi sunt dixisse Sapientem: *Pone prudentia tua modum. Qui ventos considerat, numquam seminat. qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Nec est leuiter prætereundum, ab istiusmodi prudentiæ viro B. Patre Ignatio profectum monitum, quo edicebat, *Eos qui nimis prudentes esse volunt, haud sæpè magna præstare. Numquam enim se ad ea quæ pulcherrima sunt, admovebit is, qui eorum difficultates, & ancipites euentus, scrupulosè cogitat, aut anxie nimis reformidat.* Ita ille.

Sed sunt etiam, qui postquam ab eo quod benè constitutum fuerat, recessisse se ex aliqua infirmioris animi fragilitate viderint, postquam se variis casibus, iterum & sæpiùs labi, multa quæ præter voluntatem cedere deprehenderint, contrahuntur animo, spem abiiciunt, & in futurum omni conatu deposito desperant. Timori nimio id passim tribui solet: sed licet aliquod meticulosi animi vitium inuoluatur, id tamen potius ego impatientiæ, superbiæ, ac supra verum æstimationi tribuerim. Impatientiæ, quia ferè tot suos conatus in irritum cecidisse indignantur, putant quæ non è sua dignitate fore, si toties ad eadem aggredienda descendant: Superbiæ verò est, quia cum suis viribus, suæque industriæ præsiderent, non adsuit qui superbis resultat Deus, ideo quæ ad finem optatum non potuit res perducere, atque hæc est quæ latissimè per omnes aditus nostros peruagatur causa, cur pro voto non accidant: ex illis enim quæ consulendo, nitendo, prouidendo perficere non possumus, docemur, cuius misericordie ope id possumus quod aliquando peragimus. Est denique, & in multis Dei timentioribus, quædam nonnumquam æstimatio supra verum, atque adeò cauenda; Deus enim summa veritas est, nec potest quod veritati aduersatur, Deo non aduersari. Quare, licet nullius vniquam, quantalibet rei illecebra, peccatum vllum admitti oporteat, si tamen, aut leuius aliquod admissum sit, aut in fraudem, ex errore vel fragilitate illecti sumus, non est plus iusto id æstimandum, non putandam præclusum locum gratiæ, imò neque

que grauius ex cruciari animo conuenit: ad spem potius & alacritatem, maioremque in posterum sollicitudinem, cautionem, vigiliis & fortitudinem, vt & D. Bernardo diximus, nos ipsos hinc excitemus.

Vniuersè verò, quod & hinc & in plurimis aliis non parum iuuerit, monebo: Deus est lux, & (quod dilectus asseruit Apostolus) *tenebrae in eo non sunt vllae*; similiterque Deus est pax animi, & *in pace factus est locus eius*; nec est *dissensionis Deus, sed pacis*. Obserua igitur timorem illum, qui mentem ita terret vt turbet, vt inuoluat, vt veri & æqui, perfecti & imperfecti, vtilis & damnosi perspicientiam obscuret, anxios, & in vtramque partem dubios ac hæsitantes torqueat, ab iis quæ sui muneris sunt exequendis retardet, inutilibus aut sanè non propriis & alienis curis implicet, caliginosis timorum tenebris, & ex se inuicem enascentibus, ac implexis labyrinthis, iudicium obnubilet, actum agat, & in eisdem renascentes, repressos, at subinde resurgentes timores relabatur, nec sibi, nec suæ conscientiæ moderatoribus constanter credat; pro comperto habeas, omnem illum vel perturbatorem, vel tenebrososum timorem, à Deo non esse, ideoque fugiendum, non audiendum, & aduocata mentis hilaritate superandum. Terret interdum Deus, fateor, maximeque peccatis inuolutos, at terror eius, si mortificat, & viuificat; si deducit ad inferos, etiam reducit; si humiliat, simul subleuat, dilucidus, placidus, spei plenus, viam qua redeat ad Deum, demonstrat, complanat, iucundiosem & munitiosem reddit. Hæc obserua, & non faciliè in fraudem inducèris.

Sed hæc de timore Dei sint satis, quem si possides, perseueras; qui enim timet Deum, nihil negligit; sollicitus in eo perstat, & vigilat, vt cuiusmodi sit cui adueniens Dominus dicat, *Beate serue quem vigilantem inueni*. At verò, qui Deum minùs timet; in securitatem soluitur, dormitat & indormit, ac Domino media nocte de improviso veniente, dum extinctæ lampadi oleum quaritur, excluditur, & quamuis serò pœnitens, longum clamet, & importunus pulset, quid aliud ei responsabitur, quàm triste illud, *Nescio vos? Non timuisti, cum vtilis erat timor, nunc timeas & lugeas vbi timor est & luctus æternus*. Verè & salubriter dixisti sancte Macari, & alloquebaris Sanctos quando dixisti, *Ploremus, fratres, & producant oculi nostri lacrymas, antequam istuc hinc eamus, vbi nostræ igneæ lacrymæ corpora nostra comburent; ad quæ verba proni omnes vbertim fleuerunt*.

*Vita SS.
PP. I. de
compunct.*

CAPVT VII.

*De spe & fiducia in Deum. timorem & Spem in vnum
conspirare.*

Aliquanto, quàm volueram, fusiùs de timore Dei legi, ista maximè de causa, quòd eius curam nonnihil iacere crederem; nunc ad spem atque fiduciam scriptio nostra conuertenda est; quamquam sine illo hanc qualem oportet habere non possumus. Excelsus est Dominus, & humilia respicit in cælo & in terra; summa imis, ima iungit & adnectit summis, totoque hoc orbe res maximè distitas arctissima copulatione coniungit: hominem ipsum quasi totius familiæ, sic omnium Dominum, è quàm pugnantibus mortali & immortalis, terreno & cælesti, corporeo & incorporeo, quàm arcta societate deuinxit? de se quoque quàm multa, in speciem pugnantia, sed re ipsa maximè consona, ab hominibus credenda proponit: iustus & misericors, patiens & acerrimus vindex, occultus & præsertissimus, homo & Deus, æternus & Virginis filius, mortalis & immortalis, haberi vult. Vult hanc quæ circumferimus massam carneam, escam vermium, iamque putidum cadauer, sursum ferri, morti eripi, immortalitati asseri, cælo donari, angelis intermisceri, æterna gloria perfrui. Quid igitur mirum, si tam viles, & ad tanta tamen euocatos, velit etiam virtutibus in speciem pugnantibus, at maximè conspirantibus exornari? vult prudentes, at simplices, vult humiles, at magni animi, vult benignos, at zelo ardentibus, vult hominum contemptores, at omnibus seruiens, omnes Christo lucrificantes, vult denique à iudicijs Dei trepidantes, at misericordiæ optimi patris præfidentes. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, ô dilecta & Deo præparanda anima. Ecce Deus tuus, Deus vnus est, & ab illo vno, ac in illo vno, omnis omnium rerum distinctio, varietas est, & ordo atque pulchritudo: tu igitur, tam sanctis conspectibus vt non reperiaris indigna, enitere, & plurimarum ac pulcherrimarum virtutum gratiam, varietatem, ornamenta & decora, tibi comparare stude: caue præ ceteris, ne vel pudor erubescentiæ, vel fiduciæ candor desit; hæ sunt, quæ primos gratiæ aditus parant, quibus quasi conciliatricibus, prona passim sanctorum votorum impetratio sequetur.

Intelligentium quidem summum & singulare, quòdque in eundem cum ceteris ordinem redigi nequeat, est Deus; infimum vero & infinite à primo illo distans est homo: ideoque ab homine ad Deum accedenti, infinita quædam procurio exhaurienda est, & ea sunt in vnum cogenda quæ inter se quàm maximè dissident. Atqui hoc præstabit timor & spes; nec enim hic timor est qui à cursu auocet, & in fugam agat, sed qui desiderium prouocet, & ne noster nobis

Rr

amor

amor pereat, sollicitos angat; spes est, quæ facit animos, quæ sancti Spiritus afflatu instructa, alacres ad perueniendum vires innovat. Iam verò hoc vtrumque, à sui & Dei cognitione ortum ducit: nostri enim, præ Deo vilissimorum, omnique beneficio indignissimorum, imò potius mala multa meritorum, vera cognitio quid nisi timorem pariat: hinc autem, si à nostri, ad Dei cognitionem, quasi ab obscura imagine ad exemplar infinitis partibus perfectias transimus, quid nisi bonitatis, liberalitatis, munificentiae, *Φιλανθρωπίας*, & clementissimæ amabilitatis infinitus ac inexhaustus thesaurus occurrit, qui blâdissimè spem nostram excitat, solatur timorem, inopiam ditat: cumque hæc duæ cognitiones ita sibi sint implexæ, ut altera foueat alteram, neque commodè separari queant; timor quoque à spe, & spes à timore, nisi vtriusque interitu seiungi nequit. Audi quid sui ipsius experimento teste loquatur vir sanctus.

Bern. hom.
6. in Cant.

Felix mens cui semel Dominus Iesus vtrumque infixit pedem. Ipsi sunt timor & spes: ille iudicij, ista misericordia representans imaginem. Merito beneplacitum est Deo super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius, cum timor initium sapientie sit, spes, profectus; nam consummationem sibi caritas vendicat. Porro si iam dolore peccati, & iudicij timore compungeris, veritatis iudicijq; vestigio labia impressisti. Quid sit timorem doloremq; diuina intuitu bonitatis, & spe consequende indulgentiæ temperas, etiam misericordia pedem amplecti te noueris. Alioquin alterum sine altero osculari te nõ expedit, quia & recordatio solius iudicij in barathrum desperationis precipitat, & misericordia fallax assentatio pessimam generat securitatem. Datum est & mihi misero, nonnumquam sedere secus pedes Domini Iesu, & modò hunc, modò illum tota deuotione amplecti, in quantum me sua benignitas dignabatur admittere. At si quando miserationis oblitus, stimulante conscientia, iudicio paulò diutius inharerem, mox metu incredibili, ac miserabili confusione deiectus, & tenebroso circumfusis horrore, hoc solùm palpitanus de profundis clamabam: Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Quod si eo relicto, pedem misericordia plus tenere contingeret, tanta è contrario incuria & negligentia dissoluebar, ut confestim, & oratio tepidior, & actio pigrior, & risus promptior, & sermo incautior, & omnis denique vtriusque hominis status inconstantior appareret. Proinde magistra edoctus experientia, non iudicium iam solum, aut solam misericordiam, sed misericordiam pariter & iudicium cantabo tibi Domine. In æternum non obliuiscar iustificationes istas. Cantabiles mihi erunt ambe pariter in loco peregrinationis meæ: quousque misericordia super exaltata iudicio, miseria conticescat, ac sola cantet tibi de cætero gloria mea, & non compungar. Agnouisti lenissimè fluentem Bernardum, sed & verissimè monentem, necessarium esse ut hæc vtrique misceantur, quod profectò ipsa pedum nuncupatio aptè declarat: qui enim altero careat, is ad progrediendum ineptus rediditur, & ruinæ certissimæ exponitur.

Eccl. 5.

Ne dixeris, monet Sapiens, Miserationes Domini multa sunt, peccatorum meorum non memorabitur. Cur autem id neque dici, nec in mentem venire conueniat, verissimam rationem reddit, dicens, Misericordia enim & ira ab illo. Ita est, Misera-

tionis

tiones Domini, & multe sunt, & per omnia diffusa: sed & ira ipsius resistere quis potest: sic illas tibi promitte, vt in hanc tamen tuo merito incidere formides: æqualiter enim, & miseretur omnium, & omnia in iudicium adducit Deus, siue autem iudicare, siue misereri maluerit, idem semper perseuerat, in vtroque laudabilis, in vtroque mirabilis. Pius, ac iustus est conditor noster: acutè dixit Magnus Gregorius, Nemo dicat, Quia pius est, venialiter pecco: & nemo qui peccauerit dicat, Quia iustus est, de peccati remissione despero. Relaxat enim Deus facinus quod defletur, sed perpetrare quisque timeat, quod an dignè deflere possit ignorat. Ante culpam ergo iustitiam metuat, post culpam tamen de pietate presumat: neque ita iustitiam timeat, vt nulla spe consolatione conualescat: neque ita confidat de misericordia, vt adhibere vulneribus suis digna penitentia negligat medicinam; sed quem presumit sibi pie parcere, semper etiam cogitet & districtè iudicare. Sub pietate itaque eius spes peccatoris gaudeat, sed sub districtione illius penitentis correctio contremiscat. Spes presumptionis nostra habeat morsum timoris: vt ad corrigenda peccata iustitia iudicantis terreat, quem ad fiduciam venia gratia parcentis inuitat. Sunt autem hæc ita certa, & passim nota vt probatione sit supercedendum.

Vixque est aliud aliquid, quod sæpius, aut acrius sacra: Literæ rebus præceptisque commendent. nouit enim Deus, quantopere in partem alteram deflectere, improvidi, & cupiditatibus acti soleant mortales; nouit quàm captiosis vtrimque sophismatis, fallax dæmon intricatos irretire affectet; quare ne hîc impingere aut labi qui quàm facilè possit, clarissimis nos monitis exemplisque voluit eruditos. Cùm etenim (vt è plurimis vnum aliquod exempli causa notemus) sanctorum Dauidis & Petri graues lapsus, & post lapsum vitam iterum ad meliora reparatam legimus, quis, cadentibus tantis viris, alium sapiat? Quis, tantis viris tam grauius prolapsis, postque lapsum ad tanta diuinitus decora vocatis desperet? Quis Luciferum è cælo, Adamum è paradiso, Saulem è regno deiectum, sapientem Salomonem à mulieribus demeratum, Iudam Apostolum in proditorem commutatum legens, non expauescat, trepidusque sibi diffidat? Sed quando receptum in gratiam Adamum, restitutum folio regio Mannassen, quando Paulum è persecutore Apostolum, quando Matthæum, Magdalenam, publicanos, latronem denique in ipsa morte paradiso assertum legimus, quis non spei plenus exulteret: atqui eiusmodi sunt, quæ passim in sacrorum voluminum lectione sibi implectuntur, vt metum & spem inter, seu potius in metu & spe, navigationis nostræ cursum, ab hac mortalitate ad æternitatem dirigamus. Et hoc ipsum ea lege nobis fuisse significatum qua cœuebatur, *Non accipies loco pignoris superiorem aut inferiorem molam, existimauit vir quidam sanctitate doctrinaque percelebris: vt enim superiorem inferioremque molam sibi iungi necesse est, vnamque si demas, inutilis molendo frumento iacet altera, ita, inquit, incessanter debet spes & formido coniungi; quia incassum misericordiam sperat, qui non etiam iustitiam metuit; incassum iustitiam metuit, qui non etiam de misericordia confidit.*

lib. 33. Mor.
c. 10. seu 15.

Deuter. 14.

Greg. l. 33.

Mor. c. 11.

seu 16.

Re 2

Sed

Eccli 2. Sed è plurimis pauca proferamus, quibus hæc duas virtutes arctissime sibi deuinctas agnoscamus. Et metuentes Dominum, inquit Sapiens, sustinete misericordiam eius: & non desectatis ab illo ne cadatis. Qui timetis Dominum credite illi: & non euacuabitur merces uestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem ueniet uobis misericordia. Ecce quàm disertè & ordinatè, à metu ad patientem expectationem, ad fidem, ad spem, ad oblectationem, ob misericordiæ copiam uobis viam munit. Sed ne solus eat, qui satis fuerat solus, addamus huius virtutis experientissimum Dauidem: *Psal. 113.* Qui timet Dominum, inquit, sperauerunt in Domino, adiutor eorum & protector eorum est. *Psal. 102.* Secundùm altitudinem cali à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Misericordia Domini ab eterno in æternum super timentes eum. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordiam eius.

Quibus è verbis penitiùs introspectis, non tantùm ita fieri, sed quomodo & cur fiat, cõiectare licet. Timor enim nos nobis exhibet quales verè sumus, pauperes, nudos, imbelles, ignauos, omnium rerum egenos, aspectu què summi regis indignos, cui tamen propria est beneficentia, misericordia, largitas in eos qui suam solius largitatem præstolantur, ac propterea quo nos pauperiores agnosceamus, eo munificentiorum illum expectamus, & quoniam nouit amat què figmentum suum, talem etiam cum experimur. Sed hæc magis è dicendis patebunt.

CAPVT VIII.

De desperatione.

Mar. Dum. **C**Rudelissimam, & maximè abominandam hanc belluam obiter detestemur, ut tanto longiùs ab ea recedamus, & spes nobis tanto gratior ardeat. *l. de Moribus.* Nemo, ut breuiter, ac neruosè Dumienis Episcopus, se mutat, qui se mutari desperet. nec enim ad ea, quæ fieri non posse creduntur, conatum adijciet quisquam. *hom. 37. in Cant.* Et D. Bernardus, Desperatio sibi omnem malitiæ vendicat confirmacionem. D. autem Augustinus, Quisquis non credit dimitti sibi posse peccata, sit deterior desperando, quasi nihil illi melius, quàm malum esse remaneat. *Christi lib. 1. c. 18.* Quæ acutissimi Doctoris tanto diligentius excussa docet, ex quantulacumque desperatione peiorem tamen semper vnumquemque reddi. Etenim variè desperatur, de æterna nempe salute consequenda, de perfectioris instituti formula teetanda, de aliqua virtute comparanda, superando vitio, nobili aliqua virtutis actione peragenda, ingenti cruciatu vel peracii morbi dolore per diu fortiterq; tolerando: at in his & id genus plurimis quicumque desperat, deterior fit, animum desponder, iam què nihil sibi reliqui

reliqui putat, quàm vt ad inferiora confugiat, virtutis altiorem tramitem relinquat, omniq; conatu ac repugnandi cura deposita, non assurgat, non contra audentior eat, non sibi viam vi aperiat, sed ignauè feratur in præceps, risus & fabula hostibus, quos vincere voluisse, fuerat vicisse, at victus est, quia non satis voluit vincere. Bone Deus, quanto id futurum est probro, quàm acerbò, sed inutili luctu!

Verissimè igitur dixit S. Chrysostomus, *Nullare magis quàm desperatione desipimus*: quare simul probat desperantes loqui stulta, insulla, parumq; sibi constantia, quæ ab amentia, atq; desperatione profecta sint, meritò dubites; superbi sunt, & contemtissimi, audaces & timidissimi. Id verò, animo non secus atque corpori, euenire docet: vt enim hoc nostrum corpus, pertinaciore perturbatione naturæ, ab æquali temperatione deiectum, in varias & aduersas morborum ægrotationes incidit, & modò caloribus nimijs aestuat, modò tremulis frigoribus impallefcit: ita profus animus vbi humilitatis & spei præsidij obsepiti defuerit, in suas & ipse labitur ægrotationes, quas insanitatem aut insaniam dicere maluerunt, nihilq; illi animo constat, turgescit vanitate, superbia inflatur, formidine contrahitur, desperatione torquetur, neq; iam sui compos perseuerat: tumer, inflatur, & momento euanescit, bullarum instar, quæ inaniter inflatæ ipsa sui inflatione in auras inanescunt, vel etiam stupparum instar, quæ ad moto igne latè collucet & turgescunt, at suo illo splendore ascititio in pertenuis cineris puluisculus eunt. Hinc est inimico nostro perfamilia vt varias desperationis cogitationes immittat, quibus omnem in Deum spem excludat, quæ (vt idem Sanctus loquitur) iuta est anchora, substantia vitæ nostræ, manudictio in Deū, perditarum animarum salus: *Spe enim salui facti sumus*, ait quidam. Hæc est enim fida & aurea catena, è summis cælis in ima terrarum demissa, quam si forti manu cōstanter strinxeris, te huius vitæ fluctibus ereptum, tutissimæ calorū stationi importabit, & securum beatæ perēnitati consecrabit: at si molliore animo fractus fatiscis, & solutis manibus catenam dimittis; heu! cōtinuò, decidis, præcipitaris, & miseriarum profundo immergeris: relictoq; tam humilis & mansueti Domini mandato, tyranni, & nostram salutem sine fœdere impugnantis, atrox imperium sustines; benigno iugo dissipato, abiectoq; leni onere, illorum vice, ferreis vinculis collum infertasti, lapidem insuper molarè de tua ipsius ceruice dependisti, in eamq; te vltiò necessitatem induisti, qua perpetuò te ipse in deteriora virgeas. Cui deest fiducia, illi & relipiendi & salutis sublata spes omnis est: ianuam sibi vitæ obserauit, & ad curriculum aditū præclusit. Quapropter nihil æquè tentat, nec aliunde victoriã certius expectat hostis animarū, quàm in vniquã nostris animis hanc diffidentie persuasionē inseruerit: vbi enim id cōsecutus fuerit, nihil est cur nos oppugnare pergat, ipsi nos oppugnamus, iacemus, ruina nostra involuimur, & miserò esse delectat, adeoq; à reluctandi consilio absumus, vt illis ipsis molestis vinculis, volentes, nolentes, grauius implicemur.

To. 5. sc. 27.
cont. desp.

Idē Chry.
paran. 1. ad
Theod. laps.
ep. 5.
Rom. 8.

*Ibid. mul-
tis in ser-
u. flu.*

At quæ tandem est, inquit idem vir sanctus, desperationis, feræ tam imma-
nis, mater & radix? Ignauia, quam etiam eiusdem altricem non immeritò dix-
eris, quemadmodum & in cadauere vermiculos gignit tabes, genitiquæ tabem
adaugent. Ignauia desperationem parit, desperatio ignauiam magis auctibus
ampliolem facit, iterumque hæc adaucta dum execrabiles augmenti vices de-
sperationi rependit, ac deinceps vna alteri suffragari non desinit, mirum quan-
tum vtræque confirmantur, viresque, non iam humanis viribus, sed præpotenti
solo diuino auxilio superabiles acquirunt. Numquam, ait D. Chrysof. qui non tor-
pescit, in desperationem proruet; neque qui alitur spe bona, aut qui expectationem salutis
non abdicat, in socordiam delabitur. Par istud pessimum dissipat, & iugum confringit. Ita
ille, cuius è verbis, aduersus ignauia vitium pessimum, multa dicendi daretur
ocasio, nisi & properandum nobis esset, & crederem infanda & detestanda e-
iusmodi prole agnita, nihil esse, quod aduersus matrem grauius, aut exosius ex-
cogitari queat. Addam tamen, ignauiam hanc non qualemcunque, sed eam so-
lam videri, quæ matre superbia, seu sui ipsius fiducia ortum duxit: sicut enim vsu
venire solet, vt postquam superbiorum, resistente Deo, consilia malè cesserint,
de sua prudentia, quam vsque aded elusit euentus, meritò diffidant, eumque
nusquam aliò quàm ad se ipsos respectent, exanimati iacent, & frustrati conatus
dolorem ac ignominiam non ferentes, ignaua consternatione desperant. Et
hoc ipsum est, quod Isaias Propheta proclamatur, *Va filij desertores, dicit Dominus, ut
faceretis consilium & non ex me, & ordiremini telam & non per spiritum meum:— spe-
rantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti. Et e-
rit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbra Aegypti in ignominiam.*
Jerem. 17. Quod ipsum apertissimè alter; *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit car-
nem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi mirica in deserto, &
non videbit, cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra saluginis &
inhabitabili. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit
quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, &
non timebit cum venerit aestus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit so-
licitum, nec aliquando desinet facere fructum.— Ego Dominus, scrutans cor, & probans re-
nes: qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinventionum suarum.*

*ep. 46 ad
Rufinum.*

Ecce quàm pugnantia ad vtramque hanc fiduciam sequuntur, & quis non
agnoscat iustissimè à Deo destitui, qui Deum destituit prior, seque solo maluit
niti. quo quid dementius fingi potest? Sanè D. Hieronymus; Nihil tam offendit
Deum, quàm desperatione meliorum herere prioribus. Licet & ipsa desperatio, incredulita-
tis iudicium sit. qui enim desperat salutem, non putat futurum esse iudicium: quod, si me-
tueret, utiq; bonis operibus se iudici prepararet. Potestne verius aliquid dici? quis iu-
dicem timet reus, & iudicio, vel innocentia argumenta non præparat, vel mi-
serationis non extundit affectum? ô magnam desperantis amentiam! Iustum &
seuerum reformido, inquis, ideoque despero: sed heus tu, si times, quidni placare

re

re tentas: desperatio ista tua, placat, an grauius iritat: meliorem, an peiorem reddit causam tuam? aliquid noui boni, an potius grauissimi mali adiungit? conciliat, an auerfiosem efficit iudicem? ô, si dignè misericordiæ ipsius immensitatem perpendifles! audi amicam, & pænè supra fidem clementem reuocantis inuitationem, Fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus, *lerem. 3.* & ego suscipiam te. — polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis: — frons mulieris meretricis facta est tibi; noluisti erubescere. Ergo, saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis mee tu es: numquid irascaris in perpetuum, aut perseverabis in fine? Ad quæ verba exclamat D. Hieronymus, O clementia Dei, ô nostra duritia! dum *eadem epist.* post tanta scelera nos prouocat ad salutem; & ne sic quidem volumus ad meliora conuertere! Utinam, vel saltem coronam nobis texeremus pœnitentiæ, quam imponeremus capiti, & assumeremus pennas columbæ, & volaremus, & in foraminibus petræ, in vulneribus Domini requiesceremus, & clementissimo reconciliaremur patri!

Quem in sensum excellit profectò Bernardus, & rem totam ita ob oculos ponit, vt eum audire incundum sit futurum: *hom. 38. in Cant.* Quid Dei ignorantia parturit: inquit, quid nisi desperationem: sed quomodo dicamus: Fortè aliquis reuersus in se, displicens sibi in omnibus malis quæ fecit, cogitansq; respiscere, & redire ab omni via mala, & carnali conuersatione sua, si ignorat quàm sit bonus Deus, quàm suavis & mitis, & quàm multus ad cognoscendum; nonne sua carnalis cogitatio arguet eum, & dicer, Quid facis? & vitam istam vis perdere & futuram? peccata tua maxima sunt, & nimium multa: nequaquam pro tot & tantis, nec si te excories, sufficies satisfacere: complexio tenera est, vita existit delicata, consuetudinem difficilè vinces. Pro his & similibus desperatus resilit miser, ignorans quàm facillè Omnipotens, qui neminem vult perire, cuncta ista dissolueret; sequiturq; impœnitentia, quæ est delictum maximum, & blasphemia irremissibilis; ipse verò aut conturbatus nimia tristitia, absorbetur & fertur in profundum, minime vt iam consolationem recipiat emerfurus; sicut scriptum est, *Prou. 18.* Impius cum venerit in profundum malorum contemnit, aut certè dissimulans, & sibi qualicumque verisimili blandions ratione, reuocat se irreuocabiliter in seculum, ad persfruendum & deliciandum in omnibus bonis eius quoad licuerit: cum autem dixerit Pax, & Securitas, tunc repentinus ei superueniet interitus, sic *1. Thess. 5.* ut dolor in vtero habentis, & non effugiet. Ita ergo & de ignorantia Dei vnuerse malitiæ consummatio venit, quæ est desperatio. Apostolus dicit, quod ignorantiam Dei quidam *1. Cor. 15.* habent: Ego autem dico omnes ignorare Deum, qui nolunt conuertere ad Deum: neque enim ob aliud proculdubio renuunt, nisi quia grauem & seuerum imaginantur, qui pius est; durum & implacabilem, qui misericors est; ferum & terribilem, qui amabilis est: & mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum, pro eo quod non est ipse. Quid timetis modica fidei? vt peccata nolit remittere: sed affixit ea cruci cum suis manibus, quod teneri, & delicati estis? sed ipse nouit figmentum nostrum, quod malè assueti, & ligati peccandi consuetudine: sed Dominus soluit compeditos, fortè ne iritatus immanitate & multitudine criminum cunctetur porrigere manum adiutorij: sed vbi abundauit delictum, superabundare & gratia conuenit.

suenit. an de vestimento solliciti estis, vel cibo, ceterisque, corpori vestro necessariis, & propter ea cunctamini relinquere vestra: sed scit quia his omnibus indigetis. Quid vultis amplius, quid iam impedit à salute: sed hoc est quod dico, Deum ignoratis, sed nec creditis audienti nostro. Vellem vos vel expertis credere, quia nisi credideritis non intelligetis. Verè ita est, beneque ab his duobus sanctissimis Patribus obseruatum, desperatione fidem elidi; cum autem salutis & bonorum ac virtutum omnium fundamentum sit fides, hinc apertè consequitur à desperatione, vt boni omnis depopulatrice & vastatrice potentissima, quam longissimè esse recedendum. Vt filijs dissidentia, qui nati filij ira, ipsi sibi iram in furorem, virgam in baculum, imò in malleum, diabolica obstinatione conuertunt.

*Bern. hom.
69. in Cant.*

*lib. cont.
pusill.*

*serm. 1. in
psal. Qui
habis.*

Sed tristioribus his ommissis ad alia iucundiora me confero, si hoc tantum monuero, vt qui se ad animi deiectionem propensiores sentiunt, cogitationes eas aduocent quæ erigendis, eas auersentur quæ deprimendis animis aptiores videntur. Huiusmodi sunt iudiciorum Dei, humanæque infirmitatis crebrior consideratio, à quibus vtrique cauendum, præstatque vt timidiores animæ lenioribus argumentis ad perfectiora se concitent. Grauiusque priores illos reprehendit Gerson, quod leuia peccata, vel etiam præterita exaggerare, sibi exprobrare, in memoriam reuocare, atque inde pertimescere non desinant, suaque omnia lance iustitiæ potius, quam misericordiæ trutinant, quasi verò suis viribus, suaque iustitia potius quam diuina misericordia salutem sibi spondeant. Et quomodo amator pacis Deus, in eiusmodi irrequieta, nouaque semper fluctuationes amante conscientia sibi locum eliget? Quanto fortet illis consultius, vt non suæ iustitiæ, sed Dei misericordiæ fiderent, sic iudicia Dei moderatè spectarent, vt tamen miserationes eius, super omnia opera eius agnoscerent? De postremis verò ita D. Bernardus; *Sunt qui & desperant: hi videlicet qui considerantes imbecillitatem propriam, desiciunt, & obruuntur à pusillanimitate spiritus, habitantes in carne sua, & circa infirmitatem propriam semper intenti, vt omnia que patiuntur, cursim enumerare valeant. Vbi enim intenderis ingnium, valet. In adiutorio autem Dei non habitant, neque nouerunt illud, ita quòd nec assurgere valeant vt aliquando cogitent illud. Ita ille; sed ex his breuiter adscriptis, etiam medela indicatur, quæ tamen è dicendis præsentior fiet.*

C A P V T IX.

Quanta possit esse spes.

AB hoc sacro, quod iam pandimus, spei adyto, profani procul arcentor, omnesque illi, qui cupiditatibus immerguntur, qui peritura prospectant, qui diuitiarum, honorum, amorum suorum spem humi defixerunt, qui nec diuini

diuini timoris flabris expurgati, peccatis etiam subinde grauioribus implicantur. At vos ego alloquor, carissimi fratres, qui humiliter superbo pede, mundi vana calcaſtis, qui totis animis peccati labem exhorreſcitis, ad excelsa & æterna contenditis, animum que vario virtutum decore, ſed in primis humilitatis, obedientiæ atque caritatis exornatis. Imò verò, ne fortè quiſquam temerè hoc ſe numero eximat, nō vos tantum, ſed omnes eos alloquor, qui letifera peccandi conſuetudine poſita, ſecretam à contagione vitiorum vitam, ſiue priuatim ſoli ſibi, ſiue cum ceteris in eiufdem ſanæ voluntatis confortione traducunt.

His omnibus, nihil addubitans in clamo; Speſate, ſpei veſtræ nec termini, nec limites ponantur; confidite, exultate, gloriainini ſpe filiorum Dei: paratum à ſæculis vobis eſt regnum ſummi Patris, iam ex hoc nunc illud ſpe præcipite, illuc animo tranſcendite; vos Pater dedit Filio, arrham tenetis, ſanguinem eius, quis vos eripiet è manibus fortis huius? ecce etiam in illis deſcriptus, imò vulneribus inſculptus eſt. Quid ergo de te loquitur? Numquid, inquit, obliuiſci poteſt mulier inſanctum ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui: eſi illa obliuiſa fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Dic ergo illi iemper, & ex animo ita medullitus ſentias; Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumſit me; regit me, & nihil mihi deerit: ſi conſiſtant aduerſus me caſtra, in eo ſperabo, exurget, & ſicut fumus diſſipabuntur inimici; ſi ambulauero in medio vmbre mortis, non timebo mala, quoniam ipſe mecum eſt, & ſingulariter in ſpe conſtituit me, erit mihi ſemper in Deum proteſtorem, in vmbra culum ab æſtu, in clypeum à ſagitta, & in domum refugij vt ſaluum me faciat. Liberauit me quoniam ſperauit in eum, & ponet animam meam ad vitam. Suſceptor meus & liberator meus, Deus meus, ſperabo in eum: fortitudo mea, & refugium meum eſt, propter nomen ſuum deducet me, & enutriet me. Educet me de laqueis, & in loco ſpacioſo ſtatuet ſupra petram, & in abſcondito tabernaculi ſui me proteget, donec intrem in ſanctuarium Dei, in locum tabernaculi admirabilis, vbi iam nemo ſit qui exterreſcat, ſed in multitudine gloriæ Domini malum omne conticeſcat, laus, gloria & exultatio, cum iucunditate frequententur.

Sed quæ, & quanta bona à Domino Deo meo ſperabo? plura ſanè, quàm à matre puſio: nam & melior matre mihi eſt, & meliora ſunt vbera eius vino, fragrantia vnguentis optimis: & quid abs eo non expectem, qui veſtit lilia & fenum, qui paſcit aues, & prouidet omnibus, neque nos de craſtino vult eſſe ſollicitos: audiam quod conſulit vir ſecundùm cor Dei. *Iactabo ſuper Dominum curam* *Psal. 54.*
meam, & ipſe me enutriet: & qui implet omne animal benedictione, dabit eſcam in tempore opportuno; ſcit quæ nobis neceſſaria ſint, & prouidebit, *nec dabit in æternum fluctuationem iuſto:* qui ſperas in Domino fluctuationem omnem timoremque depone; in æternum, fieri non poteſt, vt tibi quidquam deeſſe patiat. Omnino, quouis in rerum euentu *expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum,* *Psal. 26.*
ſuſtine Dominum: morbi premunt, egeſtas vrget, torquet negotium anceps, ten-

raror instat, cælestium rerum sensus exarefcit, sibiq; derelicta mens clamat, vim patitur, consolantem se non inuenit; terra ferrea, cælum æneum tuis precibus obfufdefcit: hic tamen constans esto, *expectans expectato Dominum*; noli præceps esse, viriliter age, omnium rerum sunt vicissitudines, earumque tempora in sua sibi potestate, suoque iudicio reseruat, *etsi tibi, propter increpationem & correptionem, Dominus Deus noster modicum fortassis iratus est, sed iterum reconciliabitur seruo suo. Ad punctum, in modico, derelinquit te, & in miserationibus magnis congregabit te. In momento abscondit faciem suam parumper à te, & in misericordia sempiterna miserebitur tui, & fœdus pacis eius non mouebitur. Intendet tibi, exaudiet preces tuas, & educet te de latu miseria, & de luto facis: & immittet in os tuum canticum nouum, carmen Deo nostro. Cantabis dilecto tuo, Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, non respexit in vanitates & insanas falsas: si turbabitur terra, si etiam transferantur montes in cor maris, si pariter fremebunda aqua insonent, propterea non timebo; Dominus enim virtutum nobiscum, à quo trepidabo? susceptor noster Deus Iacob, quis me pauor exterrebit? Beatus homo qui sperat in te Domine Deus omnium; omnia fecisti, conferuas omnia, & sperantium in te voluntatem perficis.*

Quid est autem quod à Deo non veniat, nisi peccatum? neque hoc tamen diuinæ prouidentia vim effugit, illi seruiat, ab illa ordinetur necesse est. quid igitur à Deo mihi non promittam? summus est, & infima non aspernatur; immensus, & ad minima se adiungit: ab illo igitur omnia sperabo, impetrabo, suscipiam. Illi vni cor & caro mea, corpus meum, meus animus, mors, vita, tempus, aternitas, præsentia & futura, expectatio & desideratio mea omnis, illi vni bene sperando nitetur. ab illo, quidquid corpori meo in victu, vestitu, valetudine, quiete, fatigatione, commodis aut incommodis acciderit, quidquid auditu, dictum, exceptum, & in me deriuatum ab alijs fuerit, quidquid mentem meam grauius, leuius, bene, male, iucundè, asperè, aut quomocumque affecerit, actionem etiam & cogitationem meam omnem, & omnia quæ mihi vnde cumque obtigerint, certa spe ad meam aternitatis beatitudinem profutura, ideoque ab illo profecta credam; quin & meos ipsos lapsus, teporem irrepentem, & illabentia peccata, non nisi magno meo bono ab illo permitti, atque ad maiorem profectum meum inflecti videbo. O ingentem diuinæ bonitatis dulcedinem! quam late per omnia peruagatur! quam nullis arctata terminis exundat!

hom. 20. in
Cant.

Hanc securè me credo, ait D. Bernardus, qui saluare me velit, nouerit, possit. Quam quæsiuit, hunc & vocauit per gratiam suam: numquid venientem aijciet foras? Sed nec vim, nec fraudem profectò metuo vllam, que me videlicet de manu eius possit eruere, qui & vincens omnia vicit mortem, & seductorem vniuersitatis serpentem arte vti que sanctorum delusit, isto prudentior, illa potentior. Nititur hac amica fiducia Daerianus quando præcipit, Plena fiducia te totum, & omnia tua Deo committe, ita vt eius voluntas, aternæq; dispositio, sit tibi semper pro summo solatio; & siue in tenebris, siue in lumine, siue in tribulatione, siue in prosperitatis successu, siue in cordis angustia, siue in cordis latitudine,

Docum. 2.
20. 5. Bibl.

siue in donis pauperem, siue in iisdem diuitem esse te voluerit, rectè de eius bonitate sentias: & gratia ac molestia quæque de manu paterna pietatis atque prouidentie illius humiliter, patienter, vel etiam hilariter suscipias: certè credens eum omnia pro tua salute ordinare, vnicuique optans, vt ipsa voluntas eius omni tempore in te perficiatur. Id quamdiu facimus, constant nobis omnia, vt primùm ab eo recedimus retro fluunt omnia, ideoque (quod notauit S. Hieronymus) sapientissimè Salomon, Deuolue super Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes tue. Tunc enim nostra cogitatio, addam etiam spes omnis & actio, confirmatur, quando omne quod agimus, quasi super stabilem & solidissimam petram, Domini adiutorio deuoluimus, eiq; cuncta reputamus.

At numquid lego, Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum? Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & humiles spiritu saluabit? quid ergo? iniustus & superbus, sanctorum & humilium me promissis ingerat? non verebor, ne iram magis quàm milerationem prouocem? ò mala diffidentia, argumenta nimium subdola! ego verò sperabo in Domino qui eruet ab inferis animam meam, an non & bonis & malis benè facit, quia bonus est? & malos in bonos commutate amat: propitiabitur iniquitatibus meis, & sanabit omnes infirmitates meas. Miserator & misericors Dominus, longanimis, & multùm misericors: non secundùm peccata mea faciet mihi, nec secundùm iniquitates meas retribuet, ab eterno in æternum misericordia eius, & eruet animam meam vt non pereat, & projiciet post tergum suum omnia peccata mea, nec eorum recordabitur in æternum. Annon gratia, gratia est, vt gratis, vt immerenti obtingat? estne iustus quiquam, quem iustum ipse non fecerit? quem quando iustum fecit, non repererit iniustum? non agnouerit indignum? & iustum effecit, quia miserus est; & dignū reddidit, quia dignatione prouexit: cōfidat, qui volet, meritis, iamq; sua virtute securus triūphet, mihi verò sperare in Domino, & quidē solo Domino bonum est, & bonū est, vt non alia spei meæ ratio sit, quàm quia bonus, qui a potens est omnia facere, superabundanter quàm petimus aut intelligimus, habemusq; fiduciam & accessum in confidentia per fidem Christi Iesu Domini nostri. Audio illum, & quidem spe surrectis auribus audio dicentem: Noli timere, quia redemi te, & vocauit te nomine tuo: meus es tu. Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operiet te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. O quàm ampla promissis! sed qua lege, quibus argumentis ea consequemur? quid mihi desperationis inportunus auctor obgannis? cur condiciones à tam beneuolo promissore alienas effingam? audi quid dicat, & obmutescet: Quia, inquit, ò rationē iucundam, & spei bonæ grauidam! quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israël, saluator tuus. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Propter nomen meum longè faciam furorem meum; & laudem meam infrenabo te ne intercas. Propter me, propter me faciam, vt non blasphemet: & gloriam meam alteri non dabo. Ita fiat, Domine Deus meus; ita fiat, propter te benè uobis facias, tuiq; beneficij, vt tu solus & causa & modus eris, ita in te vnum, tota & mera gloria reddūdet, nihil tibi meum, nihil cuiusquam à te alterius reperiat, quo purius tuū fuerit,

lib. 3. cont.
Pelag.
Prou. 16.

Psal. 33.

Psal. 102.

Isaia 38.

Ephes. 3.

Isaia 43.

Ibid.

Idem c. 48.

Psal. 68. rit, eo melius & securius fuerit. Audiant humiles, & latentur & magnificent nomen Domini in laude: qui verò sua virtute confidunt, deleantur de libro viuentiũ, & cum iustis non scribantur. *Expectatio Israël, Domine: omnes qui te derelinquunt confundentur: recedentes à te, in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es. Et ego non sum turbatus te pastorem sequens: diem hominis non desideravi, tu scis. Et vbi est praestolatio mea, & expectatio mea? tu es Domine Deus meus, & propter te non est alius.*

Iob 17.
Psal. 38.

Iob 13.

Sed quò abijt, inquis, quod paulò antè de peccatis tuis, de iudiciorum Dei timore loquebaris? ò molestum interuentorem! fatebor tamen, hìc nescio quid obscuri patior, hebet lingua, nec mentem verbis satis assequor; si me respicio, timeo; si Deum, & timeo, & spero: sed quo magis me despicio, spero magis, ac etiam ad maiorem spem ipse meus timor proficit: iuuat sperare; exterruerit quantumcumque, confidens instar cuiusdam exclamo, *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo, & ipse erit saluator meus.*

C A P V T X.

Possitne spes maior esse quàm timor.

Recensitum in superioribus est, nec recensitum tantum, sed etiam dilaudatum Sanctorum monitum; iustus est Deus, time; sed & bonus idè est, spera: atque hinc dubitantem & haerentem audire mihi videor; Annon omnia quæ in Deo sunt, infinita sunt, & non est vlla perfectio maior quàm altera? iustitia igitur bonitati, seueritas clementiæ æquatur: atq; adèd timor erit spei æquãdus, quantum quidem à Deo fuerit; multis verò partibus amplior futurus, vbi nos ipsos (quorum res agitur, & quorum maximè interest) respicere cœperimus. Etenim ingratitude, indignitate, & multiplicis iniquitatis nostra, si vñquã numerum inire, grauitatem æstimare, vt oportet, voluerimus, æquaris, quod ad Deum attinet, & neutro propendentibus iustitiæ & clementiæ lancibus, numquid non est necesse, vt tanta ista nouorum in lancem iustitiæ accessione ponderum deprimatur? hæc autem qui accuratè perpenderit, putasne, verius erit, vt vana spe se deludendum lactet, an vt vero timore consternatus expauescat?

Speciosè quidè ista, & deiciens animis, ni diluantur, satis validè intorquentur; sed vt solet esse veritas victrix, ita spero fore vt huius obiectionis proripit, lux clarior, & spes certior affulgeat. Quam vt perspicaciùs videas, mi frater, solerter animaduerte, Quid ex quo fiat? & deprehendes, è rebus veris & certis, inconsequentiã, nulloquæ cum eis nexu coherentiã assumi, indequæ longius procedendo, errorem & mendacium adstrui.

Verissimum est, plarimarum earũ quæ Deo tribui possunt perfectionum, singulas

gulas immensas esse, cum id omne, quod natura vnde quaq; immensa inest, immensum sit necesse est; quare id quoq; verum, non clementiore, quam iustiore esse Deū, infinita illa clementia & iustitia, quæ naturaliter ipsius est propria. Verum ex hoc, nihil dū conficitur, quod ad timoris aut spei modum redundet, nisi etiā viderimus quemadmodum vim suam in homines expandant: & an iustitia nomine, sola sit seueritas & ad puniendū ardor intelligendus. Hoc autē vbi viderimus, perspicuum fiet, quanto erga res omnes, at maximē homines, potiores misericordiæ, quam iustitiæ sint partes, & cū sancto rege cantabimus, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt. Suavis Dominus vniuersis, & misericordiones eius super omnia opera eius: super exaltat autem misericordia iudicium.* Psal. 144.

Iacob. 2.

C A P V T X I.

Sitne iustitia timoris potius quam spei causa.

PRimum igitur observa, tu quicumque iustitiæ nomen in timoris patrociniū assumis, nequaquā iustitiæ diuinæ id munus esse, vt puniendo delectetur, vel pœnarū sumendarum occasionem quærat: id enim durū & immite foret, quodque piæ benè sententiū aures abhorrent: quin & ipsi homines puniendis aliorū sceleribus præfecti, crudeles & immanes haberentur, si vel quantum possunt punirent, vel ex aliorū supplicij lætitiā præferrent, vel ad peccandum allicerent, vt vel sic pœnis iustis torquere possent. Imò verò longè est rationi & æquitati consonantius, idq; ab omnibus bonis vsurpari solitum, vt quantum in ipsis est, peccata præuertant, & ne admittantur impediunt, ne fortè illis admisis, in flagitiosum lauire cogantur.

Sed iā præuè admissa multa fateamur: at neq; sic tamē de iustitiæ laude detrahitur, si vel flagitioso parcat, vel leniūs, quā erat meritis, puniatur: nec enim vel clementia iniusta est, vel iniquū est parcere, nisi quando ad maiorem iniquitatis cumulū id cederet: at si leniore pœna, vel parcendo, melior euadit qui peccauerat; quis non eiusmodi lenē esse, laudabilis iudicet; & quæso, vbi vnquā in pœnis vel humano, vel diuino iudicio inflictis, iudicē vidimus scrupulosius laborātem, vt delicti grauitati supplicij grauitas par foret? Sciunt enim, ad iustitiā quidē pertinere, vt iniusta nemini pœna infligatur; at verò ad illā solam nō pertinere, vt tanta, vel etiā quæpiam vllā reposeatur, sed an sit, & quæ sit exigenda, esse aliunde, tū ex publica, tum ex priuata peccantiū vtilitate, atq; interim ex ipsa iudicantis dignitate pensandum. Etenim quo celsior & amplioris auctoritatis est iudex, eo solet esse decentius, vt se in puniendo clementiæ memoriē præbeat: ita vt pœnarum remissio, exactio, varietas, quamquam non sint iniustæ necesse est, quod tamen intra modum sint, & non pro grauitate delicti, non magnopere

facit ad iustitiam, sed ad sapientiam, prudentiam, clementiam, & id genus virtutes, iusti & æqui moderatrices.

Denique quoties de iustitia illa quam Theologi vindicativam vocant, agitur, ne putes ab ea vel homines iustos, vel Deum dici iustum, sed est tantum imperfectior quædam pars, & quasi effectus alterius iustitiæ, quæ in servanda æqualitate versatur. Fateor quidem, ita hinc compelli solere iustos, magistratus eos qui sceleratorum quæstionibus præsumunt, sed hoc ex occasione muneris accidit, cuius ea censetur pars esse potissima, ut compescendis terrore pœnæ improbis inuigilent: & quoniam cum id seuerè præstant, fit ut unicuique securè, quod suum est maneat, rarique sint qui injuriam ceteris inferant; inde merito quasi per metonymiam iusti nuncupantur, hoc est, iustitiæ conseruandæ, & iniustitiæ cauendæ auctores. quo eodem sensu iustæ leges dicerentur, quia iustitiam præscribunt, & auctoritate sua sanciant. Atque hoc etiam significatu, vindicta & punitio peccatorum iusta dicitur, quia per eam in ceteris, qui ab iniustitia deterrentur, iustitia magis efflorescit, & iniustitiæ aditus obstruitur: quod verum esse potest dum tantummodo pœna non sit grauior, quàm delictum exigat, etiam si vel sit longe mitior quàm esse potuisset, vel ex quocumque alio, quàm iustitiæ affectu iniungatur; ut re ipsa aliunde solet iniungi.

Etenim qui ex iustitia agit, alteri reddit quod ei debet; sin autem nihil debet, aut si reddit quod non debet, nequaquam ex iustitia, sed ex aliquo alio fine agit. Iam verò factis constat, & hoc etiam ipsamet verba sonant, eum qui punit non debitorem, sed exactorem esse, & eum qui punitur, non quidem aliquod ius sibi reponere, sed potius punienti pœnas persolvere: ex quo fit, ut punitio, siue iustitia vindicativa, cum non reddat id quod alteri debet, sed exigat quod sibi debetur, & à nocente pœnas sumat, non sit dicenda iustitia, nisi metonymica & impropria; ita tamen ut si ex ratione fiat, ad eam referenda sit virtutem, ex cuius amore vel imperio exoritur. quare qui punit, ad arcenda scelera, ex zelo agit; qui ad eius quem punit correctionem, ex caritate fraterna; qui ad reipublicæ conseruationem, ex pietate, vel iustitia legali: ac ita variè ad varias virtutes punitio iusta referetur.

Ecce, inquis, dum iustam negare voluisti, veritatis tanta fuit vis, ut iustam fieri cogeres. Nequaquam; sed consultò à me prolatum est, ut ne verbi frequentatione fallaris; quippe frequentissimè hoc nomine utimur, sed significatu amplo, vario, & ad peculiarem iustitiæ virtutem minimè spectante: iustum enim dicimus id quodcumque coæquatur alteri cum quo confertur, etiam si nihil iuris & debiti intercedat; vnde nihil vetat quin eundem reum, vel iustè puniat, vel ex clementia iustè princeps absoluat. quibus in loquendi generibus, non aliud significat iustè, quàm non iniustè: sed hoc ubi de pœnis agitur, magis vsurpatur; vix enim aliter iustam pœnam intelligimus, quàm quæ non est iniusta, quæ delicti grauitate maior non est.

Sed

Sed ad iustitiam Dei reuertamur, cuius nomen variè accipitur. Nam interdū ita latè significatus eius extenditur, vt omnem virtutem complectatur, nec sit aliud quàm virtus, seu perfectio, nihil vsquam patiens quod à recta ratione exorbitet. iam verò de hac iustitia non agimus, cum enim omnes complectatur, tam est clementia, quàm prouidentia, vel alia quæpiam virtus, ideoq; ab ea propriè nulla pœna exoritur. Aliter præterea dicitur iustitia, concentus quidam virtutū aptè inter se consonantium, ita vt nihil in commune desit aut superfit: atq; ad eò hæc iustitia est in Deo, illarum virtutum moralium complexio, quæ in diuina voluntate esse intelliguntur, quæ non aliud sunt, quàm diuinæ voluntatis rectitudo & simplicissima bonitas. At neque hæc iustitia, ad nostræ dubitationis elucidationem facit: sed alia quædam est, quam articulatè explicare non est huius loci, describam tamen, & ita comprehendam, vt eam quantum satis fuerit, & per eam id quod agimus assequi quadamtenus possimus.

Est igitur in Deo peculiaris quædam iustitia, qua iustis quasi ex pacto mercedem diurni denarij, hoc est æternæ gloriæ reddit: quare non veretur S. Apostolus dicere non esse iniustum Deum vt obliuiscatur operum bonorum; & ad Timotheum, repositam sibi coronam iustitiæ, quam reddet iustus iudex, qui reddit vnicuique secundum opera sua. Bonus enim & iustus Dominus, immensorū bonorū largitatem non mera profusione, sed iudicio, iure & merito in hominē deuiare decreuit, eumq; noluit æternæ gloriæ coronam omninò gratis, sed velut virtutis coronam, & quasi iure suo consequi. Vidit enim longè perfectioris ordinis, sapientiæ illustrioris, mirabilioris prouidentia, imò verò maioris etiam liberalitatis, atque amoris tenerioris fore, si egeni, & ad tanta bona adspirare indigni homines, ad illa tamen promerenda, se volente, aptarentur, quàm si ex sua solius voluntate, vel in cælestibus procrearentur, vel ad cælestia transferrentur. nec enim quasi saxa & lapides, quæ pro libitu in quavis ædificij parte collocantur, ita homines, ratione & intelligentia præditos, nescientes in cælū rapi conuepit; non etiam actuariorū iumentorum instar, adigi & cogi; sed volentes & scientes, ad meliora permoueri: hoc autem meliùs effici non poterat, quàm si & infirmis gratiæ vires adderentur, vt possent, & cessatoribus præmia promitteretur, vt velent. Ex hoc verò liberaliter concessio, postquā tamen concessum est, exortū est ius quoddam, quo iustum sit, vt homini iusto reddat Deus illud, quod vt sapiens agnotheta, liberè quidem posuit, at iam posuit præmium, & cuius oppositu, ac promissi auaritate, permoti viri sancti, ardua omnia exhauserunt. Momentaneum ac leue est tribulationis huius, quod æternum gloriæ pondus operatur in nobis, dicit quidam, qui etiam in infirmitatibus, in tribulationibus, in spe filiorum Dei gloriatur; & Moses negauit se nepotem Pharaonis, malens affligi cum populo Dei, *aspiciebat enim in remunerationem*: nec veretur quidam Sauctorum eloqui, *Redde quod promissisti, quia fecimus quod dixisti*. Est igitur hæc iustitia diuina, non aliud quàm rectissima & constanter perseverans volun-

Heb. 6.
2. Tim. 4.
Rom. 2.

Heb. 11.
D. August.
serm. 16. de
verbis A-
post.

tas,

tas, reddendi hominibus id præmium, quod sanctæ vitæ iure compararunt.

Ne tamen securis contra secantem efferaris; caue putes posse hominem ideo sibi aliquid apud Deum arrogare: nec enim homo debitorem sibi potuit Deum reddere, sed ipse se talè promissione fecit Deus. hoc verò cum à merissima liberalitate profectus sit, tanto maiorem à nobis summissæ mentis gratitudinem exigit, quo se nobis arctius quodammodo deuincire dignatus est. Præterea, vt ipse homo, & hominis omnia, in supremæ potestatis arbitrio semper sunt, ita ius illud hominis, est semper, nec esse aliter potest, quàm semper in potestate Dei, qui si veller, posset sine cuiusquam iniuria, id omne destruere & tollere, at sui causa, neque vult, neque volet, sed maximè conseruata vult, & volet: dedecere enim si ab eo quod semel sapienter voluit, aliquando discederet.

Sed hoc omne sapientissima eius prouidentia, & moderatissima gubernatione nititur: cui planè consentaneum, imò potiùs iustū viderur, vt rebus singulis, iuxta naturā & propensiones inditas, cetera quoq; conueniēter largiatur Deus, atq; (vt Sapiens dixit) in numero, pondere & mēsurā omnia disponat. Hoc autē quomodo fiat quando obseruamus, quædam protinus mentis oculis iustitiæ Dei forma obijcitur, quæ sit, suauissima & sapientissima, erga totum vniuersum, & singulas eius partes prouidendi ratio, ex qua deinceps ordinatissimè, donorum naturæ & gratiæ distributio tota, per quæuis diffusa dimanet. Sed hoc totū iustitiæ munus, in gubernatione, & eorū quæ subdita sunt administratione vertitur, & bonitate ac sapientia nititur, ita vt hinc exaggerari præmia, pœnas minui possit: eamq; ineritò Tertullianus tutelam, procurationē & plenitudinem bonitatis vocat, ac inter alia sic ait, *Bonitas operata est mundū, iustitia modulata est.* — *Iustitia opus est, quòd inter lucē & tenebras separatio pronuntiata est, inter diem & noctē, inter celū & terram, inter aquam superiorem & inferiorem, inter maris cœtū & arida molem, inter luminaria maiora & minora, diurna atq; nocturna, inter marē & feminam, inter arborē agnitionis mortis & vitæ, inter orbem & paradysum, inter aqui gena & terrigena animalia.* Omnia, vt bonitas concepit, ita iustitia distinxit. Totū hoc iudicatum & ordinatum est. Additq; non ideo iudicem, aut iustum dicendū esse Deum, quòd mala puniat, sed potiùs quòd iustè omnia egerit, quòd vnà cum * auatrice omnium bonitate, arbitratrix fuerit operum eius, ingenita & naturalis, ac nequaquam obuentitia Deo iustitia.

Huius igitur è prescripto, hominē à Deo sic regi oportuit, vt naturā intelligētia ac voluntate præditā decebat; quare hinc ortū habuit, quòd iustas ac obseruatas faciles leges homini tulerit Deus, quòd ad illas obseruandas præsidia addiderit, quòd præmijs inuitarit, pœnis deterruerit. Hęc tota terroris, tota pœnarū origo; sed à præmijs quā diuersa! Præmiari enim & donare, cū sint se ipsis aliquid Deo dignum, à Dei vnus misericordia originē ducit, tamq; purè ac merè ab eo in hominē delabatur, vt eiusce beneficij conferēdi prima sola causa & sui ipsius ratione sit Deus, qui hominē, cū nihil esset, vt esset euocauit, iamq; olim ab æterno,

vt

Sap. II.

lib. 2. cont.
Marc. c. II.
& 12.* Auatrice
à est pro-
creatrice.

vt beatus esset destinauit, & quamuis non sic destinaret, quin eiusdem hominis sanctas, quibus id promeretur, actiones intercedere decreuerit, has tamen ipse Deus, earumque occasionem & modum omnem optauit, voluit, destinauit & promouit. At hoc de peccati vindicta sentire, blasphemix; eloqui, amentis esset insanix; vindictam, quod ad ipsum attinet, auerfatur, minis, terroribus, amicis inuitationibus, & quibus non viis? à malo nos amouet, ad bonum & iucundum admouet, nos verò nobis malum, nimia contumacia, in caput nostrum prouocare non cessamus; pœnamque infligit Deus, non ex aliqua infinita perfectione vindictæ, sed ex bonitate sua & prouidentia, ad quas videtur spectare, vt improborum, neque à peccato recedentium malitia puniatur. Vnde satis intelligitur, pœnam quæ peccati quædam est proles, nec est vniquam à Deo, nisi ab homine peccatum prius fuerit, non posse propriè in Deum solum referri, vt eius voluntarium & vltro neum auctorem, qui suo pte nutu feratur in pœnam, sed tantum homine suis flagitijs Deum prouocante, sequitur vltix pœna.

CAPVT XII.

A Dei moderatione in puniendo spes exaggeratur.

Resiste paululum, carissime mi frater, & attentius perpende, quanti sit solatijs, illi nos Domino seruire, qui toties ad se reuocat peccatores: puniendo non delectatur, non vult mortem peccatorum, sed vt conuertantur & viuant, *mortem non fecit, nec latatur in perditione viuorum: impij autem manibus & Sap. 1. verbis accerserunt illam.* Si punit, alienum id opus, & à se peregrinum, apud Prophetam dicit: inuitus enim punit, & à puniendo vbi primum potest recedit. tam enim verè illi dicit Ecclesia, Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miserendo manifestas, Deus cui proprium est misereri semper & parcere; quàm falsò & impiè diceretur, planeque Christianæ aures abhorrent, Deus qui omnipotentiam tuam, puniendo maxime, teque vlciscendo manifestas, Deus cui proprium est torquere semper & indignari. Non sic ille qui dicebat, *Cum iratus fueris, misericordia recordaberis.* & apud alium de se ipso quasi queritur, *Indignatio non est mihi, quis dabit me, spinam & Isa. 27. veprem in pralio?* quasi humano modo tantam suam lenitudinem conquere, vt de commertis hominibus pœnas sumere, vix in animum possit inducere; sin autem grauius comminatur, en statim ad se reuocat, finem iræ, meliora omnia pollicetur; quid enim? *Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere: est enim ille potens, ille bonus, qui si mortificat, etiam viuificat; si deducit ad inferos, etiam reducit;* *Dent. 32. 1. Reg. 2.*

T t

h

si pauperem facit, etiam ditat; si humiliat, etiam subleuat, etiam suscitatur de pulvere egenum, & de stercore eleuat pauperem: atque ita prae omnibus operibus eius, miserationes eius exstant.

Abstinet igitur ut mihi Deum tormentorum amatorem, & poenarum architectum effingam. Usque ad delictum hominis, Deus à primordio tantum bonus, exinde iudex & seuerus, ait Tertullianus, ut doceat non ab eo, sed ab hominibus id profectum: pergitque mox; Prior bonitas Dei, secundum naturam, seueritas posterior secundum causam. Illa ingenerata, haec accedens; illa propria, haec accommodata; illa edita, haec adhibita. nec natura enim inoperatam debuit continuisse bonitatem, nec causa dissimulatam euasisse seueritatem: alteram sibi, alteram rei Deus praestitit. Et post nonnulla: Atenim ut malum postea erupit, atque inde iam coepit Dei bonitas cum aduersario agere, aliud quoque negotium eadem illa iustitia Dei nata est, — quod omne tutele bonitatis est, quod iudicando damnat, quod damnando punit, utique bono, non malo proficit. Denique, timor iudicij, ad bonum, non ad malum confert. Non enim sufficiebat bonum per semetipsum commendare, iam sub aduersario laborans. Nam etsi commendabile per semetipsum, non tamen & conseruabile, quia expugnabile iam per aduersarium, nisi vis aliqua praesertim timendi, quae bonum, etiam volentes, appetere & custodire compelleret. ac mox, Horremus terribiles minas Creatoris, & vix a malo auerlimur: quid si nihil minaretur? Hanc iustitiam malum dices, quae malo non fauet. Hanc bonum negabis, quae bono prospicit? Quae dicit ut probet, ipsas etiam poenas à Dei bonitate proficisci, nec tam à Deo quam esse ab hominibus: Deus autem, quod pulcrè ait Chrylostomus, in remittendis debitis maxime dutescit: nam opulentia Dei hominum incolumitas est.

Orat. de pa-
rab. debito-
ri: 10. mil.
talent. 10. 5.

Lib. 4. de
prouid.

Sed audiendus nobis est super iis quae paulò superius diximus eleganter loquens Saluianus. Exacerbamus Deum, inquit, impunitatibus nostris, & ad nos paruenudos trahimus inuitum. Cumque eius natura sit mens Dei atque maiestas, ut nulla uacillando passione moueatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci. Vim, ut ita dixerim, facimus pietati suae, ac manus quodammodo affirmus misericordia sua. Cùmque eius benignitatis sit, ut velit nobis iugiter parcere, cogitur malis nostris, scelera quae admittimus vindicare. Ac sicuti illi solent, qui mancipinas vrbes obsident, aut firmissimas arces urbium capere & subruere conantur, omnium absque dubio eas & telorum & machinarum generibus oppugnant: ita nos, ad expugnandam misericordiam Dei, omni peccatorum immanium scelere, quasi omni telorum genere pugnamus; & iniuriosum nobis Deum existimamus, cum ipsi iniuriosissimi Deo sumus: Omnis siquidem Christianorum omnium culpa, diuinitatis iniuria est. — Cùm ita quibus torqueamur admittimus, ipsi tormentorum nostrorum auctores sumus. Quid ergo de poenarum acerbitate querimus? vnusquisque nostrum ipse se punit. Et ideo illud propheticum ad nos dicitur: Ecce omnes eius ignem accenditis, & vires prabetis flamma, ingredimini in lucem ignis vestri, & flamma quam accendistis. Totum nanque humanum genus hoc ordine in poenam aeternam ruit, quo Scriptura memorauit. Primum enim accendit,

accendit, postea vires ignibus prebet, postremo flammam ingreditur quam parauit. Quando igitur primum sibi homo aeternum accendit ignem? scilicet cum primum peccare incipit. Quando autem vires ignibus prebet? cum utiq; peccatis peccata cumularit. Quando vero ignem aeternum introibit? quando irremediabilem iam malorum omnium summam, crescentium delictorum iniquitate compleuerit. Ita Saluianus.

Ex his autem stabilitum maneat, alienam à Deo esse vindictam, ideoque in eam inuitum ferti; propriam vero misericordiam, ipsiq; ingentem, & quam exercendo delectetur, ideoque sit semper inexhausta & omnibus ad eam confugientibus exposita; quod sanè D. Basilio, D. Chryostomo quàm certum fuerit, vna sententia docebit. Ille quidem sciscitans an ob maximam multitudinem peccatorum desperare debeat quisquam, responder, Si fieri potest, vt multitudo miserationum Dei numeretur, & magnitudo misericordie mensurâ vllâ comprehendatur, quæ cum peccatorum magnitudine conferri valeat, adhibeatur sanè, si liber, desperatio. Si autem & magnitudine, & numero definiri peccata possint, misericordia autem Dei, & miserationes, neque magnitudine vlla possunt neque numero, definiri; sine dubio non est cur desperatio adhibenda sit: sed agnoscenda misericordia Dei, & commissa peccata detestanda, quorum condonatio in sanguine Christi proposita est. Ad quæ proximè accedens Chryostomus ait, Tua malitia mensuram habet, Dei vero pietas & clementia mensuram non habet. Tua malitia, qualiscumque fuerit, humana est, Dei clementia & pietas est incircumscripta: ipsa igitur tuam malitiam superat. Cogita scintillam, si in mare ceciderit, num poterit stare, aut apparere? Quantum instar habet scintilla ad mare, tantum ad Dei clementiam pietatemq; malitia hominis, imò vero non tantum; nam & pelagus, tametsi magnum sit, mensuram recipit: Dei vero clementia & pietas mensuram non habet. O grande peccatoribus, vt ad clementissimum Dominum reuertantur inuitamentum! longè tamen grandius, post reditum ad meliorem mentem, de impetrata condonatione solatium! Tantibeneficij, carissime frater, in dies memoria grata reuireseat. Deleui, inquit Dominus, vt nubes iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & gloriosus, ego dilexi te. Memento horum; Iacob & Israël, quoniam seruus meus es tu. Formasti te, seruus meus es tu Israël, ne oblitiscaris me. Laudate cali quoniam misericordiam fecit Dominus: in habitate extremâ terra, resonare montes laudationem, saltus & omne lignum eius.

Omnino, inquis, infinitam Dei misericordiam laudare iustissimum est, sed vnus tamen adhuc eximendus est scrupulus: quidni enim ethi non sua sponte, attamen quando alieno merito punit Deus, dicere possimus cum penas atrocissimas pro suæ potestatis & tenacitatis infinitate exaggerare: nec dissimulare peccata quin puniat?

Benè est, scrupulum eximemus, & ad certiore[m] spem proficiet. Ac sanè vt postremam partem verbo vno iugulem, annon penitus aduertit loquitur Sapiens quando ipsi Deo dicit, Misereberis omniam, quia omnia peccos, & dissimulus peccos.

cata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia que sunt, & nihil odisti omnium que fecisti, nec enim odiens, aliquid constituisti, aut fecisti. Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas. O quàm bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus! Ideoq; eos qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccat admones & alloqueris, vt relicta malitia, credant in te Domine. Que & plura verissi. nē asserit, sunt que vsu perpetuo tam contestata, vt non sit qui refragari queat.

Quod ad alteram, de pœnarum atrocitate, partem propositam attinet, fuerat planè id quoque nobis addendum, vt misericordiæ atque bonitatis vis tanto clariùs eluceret. Cùm enim ab ingenta bonitatis atque beneficentiæ perfectione, non tantùm præmiandi, sed etiam puniendi leges manasse dixerimus, inde prouenisse credendum est, vt & pœnæ longè infra scelerum gravitatem, & præmia longè supra operum dignitatem ab optimo Deo statuerentur: quod vno consensu nostri omnes Theologi, Deum citra condignū punire, supra condignum præmiari asserunt. Ipsi ergo seueritati diuinæ, moderatrix bonitas interuenit, pœnas auertit, retardat, & denique si nihil aliud superest, mitigat; iustitiæ verò præmiandi, ipsa se comitem, instigatricem, promotricem adiungit, vt præmia quantum licet augeat, & in maius ampliata effera. Denique, eouque in homines (vt sic loquar) misericordiæ effertur, vt infinitum quoddam sui testimonium præbuerit, vt iam in illud intuentibus, non sit spei, non fiduciæ nostræ in Deum vllus alius ponendus limes, quàm hic vnus, ne illa in fœcordiæ vel peccati occasionem abutamur. Est autem infinitum illad misericordiæ documentum, & cuiusmodi nulli iustitia sibi vendicat, Dominus noster Iesus Christus, summus & æqualis Patri Deo Deus, peccatori homini homo factus, in pretium, in redemptionem, in propitiationem & liberationem datus. Vnde ait Saluianus, Euidens est, quòd super affectum filiorum nos Deus diligit, qui propter nos filio non pepercit. Et quid plus addo? & hoc filio iusto, & hoc filio vni genito, & hoc filio Dei. Et quid dici amplius potest? & hoc pro nobis, id est pro malis, pro impiissimis, pro iniquis. Quis estimare hunc Dei erga nos amorem queat, nisi quòd iustitia Dei tanta est, vt in eum aliquid iniustum cadere non possit? nam quantum ad rationem humanam pertinet, iniustam rem homo quilibet faceret, si pro pessimis seruis filium bonum occideret. Vtique hoc magis inestimabilis pietas, & hoc mirabilis magis Dei virtus est; quòd ita intelligi ab homine magnitudo iustitiæ suæ non potest, vt quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, panè iniustitiæ speciem magnitudo iustitiæ habere videatur.

Atque hæc Saluianus, quæ de industria retuli, vt videas, tantum istud & panè folius, vt dixi, misericordiæ donum, iustitiæ tamen ab eo tribui, nempe quia non iniustum, quia ad iniustitiæ tyrannidem euertendam, ad stabiliendum iustitiæ regnum fuit, & iustissimum ac supremum omnium Dominum, id maxime decuit. Caue igitur putes, vbicumq; iustitiæ diuinæ nomen insonuerit, ibi vindictam, ibi pœnas & supplicia intelligi; non ita est. Itaque cùm dicitur, Iustus est Deus, time; bonus est, spera; bonitatis quidem vim totam, & quidè sua sponte, spei

Lib. 4. de
pœnid.

spei procreatricem cogita: non sic tamen iustitiæ vim ad timorem exprimi, nam & inuita ac auersans, & moderatrice bonitate, & sui minima parte punit, mauult iniustitiam inserta pœnitentia fugare, suarumque longè potiùs putat esse partium rectè facta dignis præmijs decorare. quod cum ita sit, quidni magis dicendum erit, Iustus est Deus, spera? & hoc quidem sanctus dixit Apostolus. Omnino, inquis, qui nec sibi cuiusquam mali conscius, & plus omnibus laborauerat, & bonum certamen certauerat. Ita est, spem nostram vita cum virtute acta, non parum affirmat. sed neque id tantùm volo; spero etiam quia iustus est, quia iniustitiam odit, quia expulsam ab animis vult, & eam ab animo expellet meo; spero, quia iustitia eius est misericordiæ plena, & amat facere iustos. Quis enim super niuem dealbare, quis mundum de immundo conceptum semine facere potest? nonne ille qui solus est? & quomodo nisi per gratiam facit: nisi per iustitiam donat: *Gratiæ reddit memihi*, ait Bernard. *iustificatum gratis, & sic liberatum à seruitute peccati*: si iustificatum, profectò & iustitiâ Dei donatum, alienis opulentum diuitiis, instructu ornatum, titulis inscriptum. Sed de causis vnde speremus, suus erit dicendi locus.

Hoc vnũ addo, vt tantas, quãtas passim seu in diuinâ Scripturâ, seu in sanctorum Patrum libris, iustitiæ Dei laudes reperies, vix vnquã vindictæ causa decantari credas: solent aliud spectare, nempe iustitiam præmia distribuentem, iustè cuncta moderantem, sapientissimè omnibus prouidentem, malis eripientem, bona largientem, consilia praua subuertentem, viris bonis & sanctis aptè omnia ad maiorem sanctitudinem apparantem. In his & istiusmodi rebus diuina solet iustitia nuncupari, laudari, præ ceteris extolli, completiturque bonitatis ac misericordiæ argumenta quàm maxima: quo fit vt expediat nos nequaquam expauescere, sed amandæ ac tenero quodam benevolentia affectu prosequendæ diuinæ iustitiæ assueferi; sic vt ad eius nomen auditum, iucundissima spe subilire consentiamus, positaque trepidatione seruili, in filiorum probatissimum amorem translati omnia quæ sunt Parris, nihil subuerendo probemus, vnusque & idem benè sperandi sit modus, qui diuinæ misericordiæ & bonitatis est modus, nempe sine modo, sine termino.

Hom. 67. in
Cant.

CAPVT XIII.

Quomodo sperandum est in secundis et in aduersis.

Res, tempora, varijque sunt euentus, quibus vel spei vela contrahi, vel latius expandi solent; quæ si singula recensere, eorumque rationes ac probationes intexere voluerimus, vtile quidem, ac forsan haud ingratum fuerit, at prolixi operis, nimiumque diffusi, quod nunc mihi cauendum est; pauca igitur, & ea frequentiora ponam.

Omnia est vicissitudo permagna, mirū vt non sit si homini tanta rerum fluctuatione circumdato, idem perpetuus vigor constare non possit, plurimāque, tum corpore, tum mente, mutationes variē admittat. Quoniam verò ista conditione nati sumus, curandum saltem est, ita firmē nauis nostrā anchora certum litus adinordeat, vt ne incerto fluctuantis inconstantiae salo delata ineret; hoc autem consequimur, si ex Apostoli sancti consilio, *confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus anima tutam & firmam, quæ si inmutabili Deo firmius adhæserit, si nullius tentationis perturbationis, alternationis incursum labefactari potuerit, admirabilem quamdam mentis intimæ serenitatem, æquabilem placiditatem, sibi que quouis euentu constantem excelssitatem pariet. Quippe quidquid vndique turberetur, ipsi etiam cælestes orbis diffracti delabatur, impavidus prospectabit ruinas, Deo duce mediis ignibus tutus ibit: nec enim surdis auribus audiuit à Domino dictum, *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo; meus es tu. Cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te cum ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te.* quod qui fuerat expertus laudans canebat, *Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis: Intonuit de celo Dominus, misit de summo, eripuit me, eduxit in latitudinem, saluum me fecit, quoniam voluit me. Quis tanto assertore non fidat?**

Equidem cum res pro voto fluunt, tum verò, quæ est nostræ mentis infirmitas, rerum secundiorum spe nimio opere distendimur inflati, nostramque felicitatem, certum fauoris diuini argumentum interpretamur: at vbi se contraxerit, & ab irato numine aduersa manare trepidi crediderimus, tum verò procliuè est, vt consternatis pauore, debilitata spes omnis exarescat, alienatisque ab inimico, vt malè credimus, & vlciscente Deo animis, ignaui & non assurgente languore confecti exesique iaceamus; vt enim vegeta spes excitatos, ita desperatio depressos, & nusquam assurgentes, tristitiaque reddit absorptos.

Atqui, si rectora sequeremur, planè contrà faciendum fuerat, vt secundis timeremus, erigeremur aduersis. quid enim? an non longè fœdissime plurimi rerum secundarum tumore perierunt, qui ex reu aduersarum insurgente pugna summis animis fortiores atque victores euaserant? *Facilius est*, ait Nazianzenus, *sublatam ex oculis felicitatem studio & cura recuperare, quam præsentē conseruare.* Idemque alia oratione pulcherimè, *Aegra anima Deo propinqua est: ac penuria ipsa efficit, vt ad Deum qui largiendi habet potestatem, nosmetipsos conseruamus, qui alioqui fortasse ob effusam liberalitatem contemnitur.* Quocirca, fratres, oculos in calum erectos habeamus, in omni tempore, atque omni rerum euentu bonam spem præferamus, neque vel in prosperis rebus timorem, vel in aduersis spem abijciamus. Memores simus, tum tempestatis in tranquillitate, tum gubernatoris in tempestate: nec in afflictionibus frangamur animi ac debilemur, atque improbos seruos imitemur, qui consententur quidem domino cum benefacit eū,

verum

Hebr. 6.

Isa. 43.

Psal. 45.

Psal. 17.

Orat. 3.

Orat. 17.

verum eidem corripiendi, nequaquam pari studio ac voluntate adiunguntur; cum tamen interdum accidat, ut dolor sanitate, & admonitio remissione atque indulgentia, & visitatio neglectu, & castigatio venia melior sit & prestantior. Atque ut rem in pauca conferam, sic nos instituiamus, ut nec propter calamitates concidamus, nec propter saturitatem insolentia efframur: submittamus nos, tum Deo, tum alij alijs, tum ijs qui imperium in terra gerunt. Italic, cui planissimè Magnus Latinorum Gregor. consentiens; Iusti, inquit, nec oblata bona hic pro magno suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt, sed cum bonis presentibus vtuntur, ventura mala metunt: & cum de malis presentibus gemunt, bonorum sequentium amore consolantur: sicq; temporali resouentur subsidio, sicut viator in stabulo vitur lecto, pascit, & recedere festinat, quiescit corpore, sed ad aliud tendit mente. Nonnumquam verò & aduersa perpeti appetunt, in transitorijs prosperari refugium, ne delectatione itineris à patria peruentione sequestrentur, ne gressum cordis in via peregrinationis figant, & quandoq; ad conspectum caelestis patriæ sine remuneratione perueniant. Quod ipsum longius ad ipsa etiam animi sensa traducès, optimè alio loco docet; Multos penus sua felicitas strauit, multos disuturna pax inertes reddidit: eosq; illos inopinatus hostis grauius perculit, quo longo quietis vsu negligentes inuenit. Vnde sancti viri cum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam dispensationis superne moderamine, exerceri se etiam tentationibus exultant: quia tanto robustius acceptam virtutum gloriam custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi infirmitatem suam humilius cognoscunt. Non igitur sensu delectationis, sed æternæ salutis momento, si res omnes ut oportet astimemus, Deum verò ex quo uis euentu, & velle, & posse nobis bene facere, & rerum omnium conuersiones in sua potestate habere crediderimus; eritne ubi spes nostra infracta collabascet: nam & saluginosa cautes, ubi uoluerit, roscida mella sudabunt, & derepentè caligo in lucem, procellosa tempestas in serenum tranquillissimum desinet. quod uoluisse videtur Sapiens, quando postquam monuisset, *Memento paupertatis in tempore abundantia, & necessitatum paupertatis in die diuitiarum*; quasi rationem reddens addit, *Amanè vsque ad uesperam immutabitur tempus, & hec omnia citata in oculis Dei*. Sapientissima & benignissima eius in homines prouidentia, à fine vsque ad finem attingit fortiter, & disponit omnia suauiter; fortiter, à præclarissimo sibi proposito fide non excidens; suauiter, propter summè placidas, ac lenissima insinuatione vix obseruabiles vias; quibus finem assequitur. Enimuerò decebat ut moderatrice summa Sapientia, sic aptè copularentur in vnum, bonitas immensa, & potestas infinita, ut cum hæc quomodo cumque posset omnia, ea tamen nollet posse nisi optimè, nisi conuenientissimè, nisi non tantum ad sui diuinam gloriam, sed etiam ad suorum Filij sanguine redemptorum, & ab æterno electorum solatium, salutem ac beatitatem, huc eos vel cliuo leniore perducens, vel iugi asperitatem, confirmatione virium, affulsque menti lætitijs leniens.

Lib. 8. Mor.

c. 41.

Vide & lib.

16. c. 6. &

alibi.

Idem lib. 31.

c. 17 seu 30.

Eccli. 18.

CAPUT XIV.

In variis euentibus cuiusmodi spes.

Quid trepidas, ô quicumque tuas vitæ rationes è diuina voluntate componis? quid de eius bonitate, vrgente difficiliore nodo indubitas? non vides quâ possit explicari? quid implexis è rebus euenturum sit, coniectura consequi non potes? iam ruere, iam in deterius ferri videtur, iam rebus aduersis imparer te putas, iam nullum effugij, nullum superesse salutis locum? ô homo, quid in te stas? & non stas? omnium adstat arbiter & moderator Deus, huius potestatem nemo superat, sapientiam nemo effugit, bonitatem solus non sentit qui se ei diffidendo subducit. Propiore est afflictis Deus, & dignos vindice nodos amat soluere, spem tuam non secundis sed arduis probare rebus decet: decet quâ semel cœpisti spem mordicus tenere, ac ex animo clamare, *Etiamsi occiderit me in a sperabo.* Mala quantacumque defœuiant, tempestatum vnde quaque turbines ingruant, iratum videam Deum in meum caput fulmen euibrantem, sperabo tamen, dicam illi, Deus meus es tu, opus manuum tuarum non despicies, iratus misericordiæ recordaberis, & patientia pauperum non peribit in finem. Profectò si sic animo affectus fueris, mirabilem quemdam eorum omnium, quæ ad te quoquo modo attinent, tuis commodis conspirantem senties ordinem.

Job 13.

Quem illum, inquires? dicam si potero, vel potius (nec enim potero) indicabo; cetera coniecies, & obseruando deprehendes: exercitatione spei tuæ delectabitur Deus, omniaq; tam in corporis, quàm animi profectum prosperè cedent, at quadam circuitione, vario etiam implexu, modò recedere, modò intricari, in contraria ferri, impugnari, euerti benè statuta videbuntur; non rarò conclamatum putabis, quidquid magno labore, summa industria promoueras, ruet subito, ac inde ruet vnde firmare sperabas: at si Deo inniteris, senties diuinæ prouidentie amicum ludum; & dissimulatum fauorem mira & subita rerum omnium conuersio palàm faciet. Nec verò id in vno, sed in omni genere senties; quædam proferamus, è quibus cetera coniecuntur.

Vis homini alicui, vis familiæ pauperi consultum; eorumque inopiam lucrosi cuiusdam muneris obuentionibus leuare: id illis obtinere si non potes, existima melius aliunde prouisurum Deum, illique si prorsus & sincerè id omne commiseris, vel tandem id efficiet, vel aliqua potiore ratione miseriam leuabit!

Est tibi admodum in optatis alicuius morum probitas, hanc omni via cōseruatam & confirmatam cupis; at vides probitatis firmamenta conuelli, licentiæ, luxui, vitæq; perditæ viam præsterni, ingenuo pudore posito perire frontem, nec putas, exalbescenti in primas improbitatis flâmas ardori obuiam iri posse; caute tamè animo concidas, suos vniciq; rei fines & tempora statuit Deus, remittet ali-

aliquando nimius mali feruor, cupiditatum stimulus obtundet, voluptas fastidium pariet, sensim ad aures, & per aures in animum saniora consilia illabentur, & quanto seriùs tanto certius & plenius admittentur, ipsamq; illam ad meliora tarditatem, partim contentiorem, partim perseuerantiorẽ virtutis cursum effecisse, ideoq; quodammodo necessariam fuisse cognosces.

Quid? quòd illa ipsa quæ aduersa fronte pugnare putabamus, Deo dante id quod volumus maximè prouehant? Vnde alicuius fortunas erigere volebamus, inde in grauiorem iacturam incidens bonis omnibus euertitur. En ex ope nostra damnum; at id animaduertens alter, miseretur hominis, & melioribus restituit, vel ipsemet eiusmodi artem parum sibi conuenientem animaduertens, ad alia suæ industriæ naturæq; aptiora conuertitur, modicoq; contentus ibi melius uiuit. ecce quam ex ope nostra non damnum, sed magnum cõpendium fecerit.

Reprehendis errantẽ amicum, is autem, secus quam oportuit, irascitur, mentisq; peruicacia deteriora sectatur, sustine ad modicũ tempus & spera, tantusq; illum sui erroris pudor inuadet, ut illum sis in posterum ad omnia flexilem & cereum habiturus, tibiq; atque Deo, neque hic tantum sed & in aliis plurimis, cum viro sancto sit dicturus, *Bonum mihi Domine quia humiliastime.*

Insurgunt aduersum te seu confictæ animo inimico calumniæ, seu bona fide, malè tamen assertæ criminationes graues, & cuiusmodi plures in sanctos viros legimus esse iactatas; faciamus esse atroces, multi de decoris plenas, tamq; probabiliter prolatas vt prudèter credi possint, & ad Præsidum ac Superiorum aures delatæ apud eos fidem inuenerint; addamus etiam accusantis aut deferentis gratiam apud omnes & auctoritatẽ exceptione maiorem; denique ipsemet Superior, aut vir ad eò præcellens, vt ei non concessisse sit temerarium, in eam sit fraudem inductus, vt te in omnibus velit oppugnatum, à gerendis rebus amotũ, ab ipsa si fieri posset Religiosa societate deturbarum; alios plurimos, quod consequens est, in eandem secum sententiam abducat, iam à te tui prius familiares recedant, inutilis, contemptus, despectus habeatis, nulla in posterum resurgendi spes esse relicta videatur, de tui opinione, honore, exstimatione conclamatum sit. Hic tu si steteris interritus, si neque vano pauore trepidaris, neque ignauo luctui indulseris, neque ad defensionũ artificiosa argumenta confugetis, neq; ad eblandendos hominũ fauores obnoxium animum demiseris, Deo verò causam tuam totã iudiciumq; commiseris, illi sortes tuas, vitam, famam, agenda, non agenda tradideris, sola ipse & tota tua spes sit; te quidem aliquantulum exerceri & perfici patietur, ac interim intimos animi sensus mirifica consolatione mulcebit, at mox exurget in iudicium, & ex oriente Sole iustitiæ, fallax mendaciorum caligo dissolabitur: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, Isaiã 58. & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Pro confusione duplici & rubore, duplicia possidebis, letitia sempiterna erit tibi. Vocaberis fortis iustitia. plátatio Cap. 61. Domini ad glorificandum, cuius folium in æstu non defluit, neq; radices tempe-*

stare contumeliantur. Tunc, Deo omnia gubernante, cunctorum subito mutabuntur voluntates, ad benevolentiam flectentur, nec de alia re propensius quam de te ornando cogitabant. Inexpectatam animorum conversionem ipse miraberis, experieris impugnatione præterita tantam amoris tui accessionem factam, tantum opinioni ac famæ tuæ incrementum additum, nunquam ut tibi blandus hominum fauor tantum, quantum patienter moderateque tolerata criminatio conferre potuisset: dicesque cum Propheta: *Fortitudinem meam ad te Domine custodiam, quia Deus susceptor meus es. Deus ostendit mihi super inimicos meos. Si dicebam, Morus est pes meus: misericordia tua Domine adiuuabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tue letificauerunt animam meam. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.*

Psal. 58.

Psal. 93.

Tuis igitur conatibus faueant, non faueant, adspirent, obsistant homines, tu si quid Deo consulente aggressus es, contra spem spera, serius, ocius, qua non putas via, quo minimè reris tempore, processura omnia, exitumque; qua non credis habitura confidito; imò verò quo desperatiora, pluribus aduersantibus, omnia putantur, tanto magis diuinæ bonitati & sapientiæ credito incumbere, ut desiderium atque actionem à se inspiratam suo etiam fauore comite ad finem usque perducatur.

CAPUT XV.

In iis in quibus deficiamus, quomodo firmanda spes.

QVemadmodum hæc spei firmioris incitatio tum maximè curanda, cum ea fortis impugnetur maximè; ita quoque diligentissimè, & nescio annon etiam maiore sollicitudine, idem est præstandum, quoties intrus, à nobis ipsis, aliqua debilitandæ spei occasio innascitur. Corporis inualetudine grauiore, vel prolixiore, statisque circuitibus recurrente, si consiliorum, ceptique cursus continuatio intercipitur, si pietatis, orationis, virtutumque adamata exercitatio infringitur, si literaria necessariorum scientiarum studia interrumpuntur, si in perpetuum à præstantis muneris, puta sacrificij, functione remoueris, an propterea debilitata spes angore mutabitur? absit: nec enim diuinæ particulam auræ, animi inquam nostrum, terrenis usque ad eò hebetari artibus, molique corporeæ usque quaque; obnoxium esse patiendum est: ea quidem quæ nisi ministerio membrorum peragi nequeant, sunt necessariò relinquenda, quoties vires corporis obsequi menti nequeunt; at vegeta spes, hæc tibi abundè damna pensabit, suas omnium rerum vicissitudines ostendet, virum fortem duris exercitiis, in tempore restituendum robur; sin minus, nihil esse tanti, ut non illi animus exstet; scientiarum, virtutum, actionum quantumuis sacrarum, nullam esse eousque præcellentem, quin eam oporteat iustissimis atque sapientissimis diuinæ voluntatis decretis, subiugari ac esse conformem. Imò verò cum nihil sit quod studio, industria,

exerc.

exercitatione mea, vel aliorum, ab hominibus, aut à rebus vllis creatis, quod ab oratione, pietate, castigatione corporis, ieiunijs, omni Religioso instituto, ipso etiam sanctissimorum Sacramentorum vsu, cum inquam nihil sit quod quomodocumq; & vnde cumque, ad salutem, maioremque in aeternum, & in praesens gloriam mihi conducere possit, quin id longè melius mihi Deus ipse, quàm res vlla alia donare, vel etiam praestantiore aliquo dono compellere possit, annon planè verissimum est, id potius sperare facturum, quando me totum, omni cura deposita, eius rationibus regendum tradidero? At verò, si pro mea voluntate mihi valetudo, studia, doctores, instructores, exercitatio, & omnis opportunitas adfuerit, nonne potius timendum fuerit, ne occultas vires non inlinuante Deo, medias inter opes, & virtutum & scientiarum inops perseuerem? heu quàm multis hæc adfuerunt, & ipsi sibi defuerunt, nec ab illa potente Dei gratia de puluere suscitati sunt! quàm multi, neque docti, neque sacra celebrantes, neque prolixa meditari assueti, neque peritos ad sanctitatem efformatores nacti, Deum tamen secuti ducem, multa que simplicis mentis sinceritate ornati, illustres in omni vitæ sanctimonia progressus fecere! non quidem quòd illa sint adiumenta contemnenda cum adsunt, sed quòd neq; in illis rei summa sit reponenda, & vbi desunt, non anxie sint requirenda, sed tota vis mentis in Deum est euerterenda: ipsius autè gratia, ea omnia quibus patienter caremus, ab eò restaurabit. hæc est in sinu nostro recòdita spes, illum qui solus potest omnia, curaturum, ut patientia pauperis non poreat, sed expectatio Dei, supra omnem valetudinem, hominè, aut rem alià nobis fructum afferat plurimum. Hæc est, mi frater, verè certa, verè sancta ratio, nos ipsos, in spe semper obfirmandi; hæc si tenes, numquàm exides; omniq; casu, constanti semper tenore letaberis.

Fortassis aliquando senties, imò verò omnino senties, (sic enim nobiscum agitur) virtutis, pietatis, caritatis in te peccere desideria, retardati progressum, tardum inserpere, cupiditates reluctari, vixque, senexa mentis imperijs, errantè sentium in officio contineri, perijsse consuetam in sanctorum exercitiorum gustatione delectationem; & in amare scire id omne, quod caelestium atque aeternorum suauitate conditur; id igitur, cum in te deprehenderis, caue animo concidas, robustior spes assurgat, tibi que sit certum, nequaquam sensu nostros progressus esse merendos, sed neque de illorum diiudicatione oportere esse sollicitos, vigilandum, agendum, instandum pro viribus, & moderato decoro; vbi verò quòd nostrum est praestiterimus, cetera committenda Deo bono, sperandumque è: punice & saxo præduro manaturos fluuios, in inuio aperiendam viam: deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinae tuæ aedificabuntur; pro la-

Isaia 49.

Cap. 55.

Cap. 60.

ferro argentum, & pro lignis aes, & pro lapidibus ferrum.

Erit etià cum aliquando negligètia irreper humana, cum pro huius peccatis vitæ eòditione à culpa non eris immunis, laberis, offendes, in boni Religiosi

officium impinges, meliora spondebis nec prestabis, ad perfectiora conaberis neque pertinges, ipsa te grauius instans remordebit, & grauiore dolore vret conscientia, at pondere pressus tuo relaberis, eodemque harenis luto reptabis, nec assurges, nec ereptandi trames apparebit; ipse te increpabis, & quaqua uersum circum spectans effugij locum non videbis, exclamabis, Domine, vim patior, in amaritudine moratur anima mea, quod nolo, hoc ago, quod volo non inuenio bonum; infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? at caue ne sic te lugeas, ut spe meliorum mox secutorum non erigaris, qui seminibus fouendis hiemem terra prouidit, qui que noctem diei, frigus aestui, amica, sed & utili alternatione coniunxit, is idem animorum summus exultor Deus, istiusmodi nos infirmitatibus roborat, deiectionibus erigit, mœroribus solatur, dilatat angustiis, periculis sospirat: quatumuis igitur ipse te oppugnare, tuisque reculantibus ad vitia propensionibus, in deterius ferri cuncta videantur, tua tamen tibi in eum spes illibata perduret, creditoque non aliunde pugnas & pericula in crude scere, quam ut humiliore & gratiore animo, debellatore & vindicem agnoscas Deum.

C A P V T X V I .

De timore & spe ad extremum uitæ exitum.

SI diuini terret expectatio iudicij, vitamque a diuinis haud raro preceptis exorbitantem recensens, momentum id expauescis a quo tota pendebit æternitas, si diuinæ sententiæ istud fulmen exhorres, quo sæuim in tonante abiudicatus æterno carceri ad diceris; et ite forsitan hic iustus timor, tibi que cum Sanctorum plurimis communis, at certe multa spe condendus, omninoque tanta ut præ hac vix aliquid ille posse videatur. Nolim equidem cuiusquam aut opinionis aut præceptionibus aduersari, id solum quod sentio edico; quid est quod admodum isto temporis articulo, vitæ scena iam peracta, quando quod refarciatur, quæ letalis cupiditas relectur deest, quid est in qua, cur id temporis timorem aduoces; timenda tunc maxime sunt iudicia Dei, cum de cupiditate reuellenda, de propellendis illecebris, periculo cauendo agitur; nunc autem instante morte, ipsoque iam homine, a presentium sensu, ad mox futura expectatione translato, potestue mentis nostræ, alio quam ad spem, quam ad diuinæ bonitatis certam fiduciam, saluarior esse conuersio? Velim igitur, ut ad id formidabile tempus, multa spe, iam tanto ante te comparet, Deum enim tunc maxime propitium clementemque, qui exoptas, annon a quo quis est, ut ad eius bonitatem elementiamque, confugias, qualemque illum esse credideris, tale etiam illum & meritum reperias? Sed & apud me valet plurimum, viti permagni B. Diadochi mira & constante affirmata sententia, Metam in morte, adiutorem esse demonum, animamque retardare; at verò animam illam, quæ morti proxima, caritate in Deum exultat, esse veluti peccatam, & præter omnes demonum

Cap. 100.

s v v

num acies euolare, eosq; qui sic obierint rapiendos obuiam Christo in aëra; timidos verò & trepidantes alios, in die iudicij cum reliqua turba iudicandos. Enimuerò magnum est, naturæ, quæ dissolutionis est metuens, tantopere esse victorem, vt mori non detrectes, optes etiam: diuinæ bonitati tantum credere, vt ad futura, numquam explorata, quorum nihil hîc est simile, te totum se cure & intrepidè tradas; rerum omnium amorem ita posuisse, vt huic toti ad spectabili orbi, luci gratissimæ, amicorum societati, ipsi etiam congenito corpori, vltimum vale dicere, non reformides, diuinæque legi vsque adeò te prestes obsequentem, & ad beatam aternitatem sic adspices, vt præ illius desiderio, nulla tibi iactura grauis, nullus casus formidandus esse reputeretur. Hæc profectò non nisi à præcellenti virtute, animo que fortissimo, ac omnium despicientissimo, Dei verò amantiissimo proficisci possunt.

At verò metu contrahi, multa expauescere, quorumuis est; soletque meticulosior quisque, ad noua & non prætentata trepidare, neque ad hoc vllius virtutis, sed paucis & naturæ solius incitamento est opus; nōne & idiplum expauerunt Ethnici? & quidam abiturientem alloquebatur animam,

Animula, vagula, blandula,

Hospes, comesq; corporis,

Quæ nunc abibis in loca?

Pallidula, rigida, nudula,

Nec, vt soles, dabis iocos!

*Spartianus
de Adriano
Imp. refert.*

Et verò plurima sunt, quæ trepidatione haud mediocriter augeant, at illa ferme ducuntur à nobis, nec ad eam excelsitate euehuntur, ad quam spes & alacritas ea, quæ sepositis humanis omnibus argumētis, sola diuinæ bonitatis fiducia nititur.

Sed nūquid antè laudati sunt, inquis, viri sancti cōplures, qui non mediocriter in morte timuerūt; equidē diffiteri nō possum, vt neque inficiari potest quisquā, complures quoq; summa mentis, cum tranquillitate, tum iucunditate, ad mortalis vitæ extrema perductos. ita Martini, Basilij, Ambrosij, Pauli, Antonij, Bernardi, Francisci, Xauerij, Ignatij, alijque tot & tanti viri, vt siue numero, siue splendore certetur, eorū qui bene sperantes latiq; obierunt, inferior causa futura non sit. Verè omnino, & ad id quod agimus appositè dixit Bernard. *Vbi in-* *Serm. 1. in*
rederis ingenitū, valet: viget enim, eamque in partem tota hominis fertur indu- *psal. Qui*
stabitur.
stria; ad quam se contentius adplicuerit. sanctorum Eremitarū non pauci, dura multa & austera meditates, nō nisi dura & aspera cogitatione versabant; inferorū tormenta, seueri iudicis tribunal, accusatores vndiq; vrgentes, sententiam absq; pronocatione damnantem; aternos cū desperatione cruciatus, assiduè in oculis, in ore, in mente gestabant: hinc vbi ad vltimū vitæ limitem peruenissent, cū suæ reuerentationis vis instante articulo acrior vrgebat, & præsentioribus timoris aculeis, testes interni paucis voces exprimebat. At verò qui spe, qui amore connixi, se diuinæ bonitati contemplandæ, beneficiis Dei magno animi

sensu perpendendis, clementiæ atque largitati nõ sine interna suauitate perscriscendæ, despiciendis procreatis omnibus, amorq; ac vnus Dei desiderationi totos penitusq; dediderunt, quibus hæc vita exiliũ est & dolor, menteq; ac purissimis votis in aliã translati sunt, his commemoratio mortis iucunda, ipsaque mors non mors, sed ad vitam à morte, à miseria ad beatitatem iucundus & breuis transitus putatur. Felices animas, meritoque tam beata sorte dignandas!

*Vita SS.
Parr. lib de
fornic.*

At enim quæris, Vtrinam horũ præstantius egerint? õ homo, quis me Sanctotum posuit arbitrum? vnus est Dei spiritus, at singulis distribuit vt vult. Duos quosdam eodẽ tempore idem peccasse legimus, pariterq; peccati pœnitentia ductos, ac vtronea sui ipsorum accusatione reos, aliquamdiu separatim clusos, omniumq; aditu atque alloquio prohibitos, graues scelerũ luisse pœnas, pauxilloq; panis & aquæ per dies singulos ex dimenso vitam sustentasse; parique in vtriusq; pœna par etiam ad extremum fuit constantia. sed ecce, vbi remissa pœnã, laxatus afflictis carcer, & in aliorum consortium admissi sunt, prodit vnus, luridus facie, exsanguis, tabidus, mortuoq; quàm viuo similior; alter verò iucundus aspectu, benè habitus, viuidaque & vegeta tótius corporis conformatione quasi enitescens. Tantam in causa pari, pariq; ratione victus, imparitatem obstupère sancti Patres & coniectura vsi probabili, hanc in re simillima dissimilitudinem, non nisi à discrepantibus animi cogitatis, manare potuisse crediderunt: cum igitur super eo interrogassent, ille macie confectus dixit, Pœnas quas flagitiis commertus eram, & quibus iustè addici possem, cogitationi perpetuò obieci, tantusque me seu horror seu terror occupauit, vt ossa contremiscere, cutiq; adhæsisse viderentur. At alter, Perennes Deo meo, inquit, egi gratias, qui me à spurcissima peccatorum colluione reuocatum, huic angelicæ vitæ redonauit, pœnisque liberavit æternis; quapropter, eiusmodi boni Domini memoria, lætus exultabam. Vtrumque & audiuerẽ, & probauerẽ patres, at neutrum alteri præferre sunt ausi, gratam Deo vtriusque pœnitentiam asseruisse contenti. Horum nos, carissime frater, modestiam imitari decet: multum est, quid bonum sit ostendisse; bonum bono præferre, cum diuersa sunt tempora, rationes & personæ, quid nisi contentiosum esset?

Equidem verecundi timoris non nihil inesse velim, sed ita moderati vt exacuendæ spei inserviat, hæc autem in omni angustia, & vbi cumque arduum aliquid emerferit, tunc vegetior erigatur: dicatque, *Cum infirmor, tunc potens sum, si exurgat aduersum me praelium, in hoc ego sperabo.* Ac vniuersè quamdiu hominum consilijs, fauore, industria res aguntur, quid nisi ab incertis incerta & fluctuantia expectes? at verò vbi in Deum reuolutus negotiorum cãrdo, sapientis ac potentis illius manũs imperio voluendus est, quid nisi sapientissimam, certissimam & optimam, ad bonos & optatos fines, conuersionem speres? teque totum illi spe vegetiore committas? Sed satis hæc sint, neque enim modò sunt indaganda prolixius.

CAPVT XVII.

Benè sperandi rationes homini suppetere à bonis acceptis.

PLurima sunt quæ nos ad spem vehementer vocant, nonnulla recensēbimus. Ac primò, illud est maximè obuium, humanæque familiare natura, vt si cuius in nos beneuolentiam, maximè in rebus, per frequenter & prolixè beneficam, sumus experti, huic profectò insignitè ingrati & iniuriosi simus, si ex mera timidioris animi nostri, suspicionē, per amico viro diffidimus: annon, vel id vnū, ingentes animorum alienationes pariet? Finge animo, quamquam in re factis obuia, fictione quid est opus? sed finge tibi amicum, fratrem, patrē amantissimum, cuius in multis, & maximè arduis rebus summa cum fide, præstò semper fuerit industria, ille te periculis eripuerit, morbis leuarit, sumtibus iuuerit, honore cumularit; nullo suo cōmodo, tui solius gratia, non raro, & grauius, de fortunis, honore, vita periclitatus; hunc suum in te animum annorum longa serie, variæque in dirissimorum casuum acerbitate constantia comprobabit, ad eò vt nulla iusta, de eius in te ardentissimo amore, dubitandi causa emergere posse videatur. Iam, si quopiam in congressu, vultu seuiore minùs tibi arrisillè semel visus est, annon summa vecordia dementire dicēdus es, si hinc iratus & suspitionum plenus te proripis, apud tui similes congerrones vanas de amico querelas deponis, de tuis rebus apud illum taces, alios consulis, totque annorum tam fida obsequia, vnus vultuosæ congressionis fastidio, obliuione sepulta iacent? Scilicet! amore tui, grauia, dura, laboriosa multa, tum à te, tum ab aliis pertulit, fidemque tot annis probauit suam; tu verò per breui momento, tenuis auræ leui susurro deiiceris, ad inexploratos amores & infida consilia, malè repudiatis veteribus cōuolas? quid tibi mentis erit, quid frontis, vbi vniquā tuam bonus ille amicus ingratitudinem exprobrare cœperit? si ab alienetur, irascatur, indignetur, si te de iniuriæ atrocitate, de fide toties explorata, sed nunc demum absque ratione in suspicionem vocata cōpeller, annon obmutesces, annon pudore suffundēris? Et hæc quidē homini; quid ergo si te talē præbeas Deo? à quo in nos, homines nihili, quæ non exstant beneficia? quæ non amoris, beneuolentiæ, ac plusquam paternæ prouidentię argumenta perpetua! quàm splendida, cæloq; terraque donaria! quàm singularia, vel in periculis prælidia, vel in egestate subsidia, vel in infirmitate leuamina, vel in dolore solatia! quàm certæ ad salutem viæ, ad æternitatem præmonstrationes, præmotiones ad gratiam, ad gloriā incitationes? deniq; qui pignus vitæ, æqualem sibi Filium peccatoribus, nec opinantibus, & auersis, prior vltro obtulit, maiùsne aliquid cōfirmandæ fiducia potuit? quàm multas etiā diuinæ erga se beneuolentiæ demonstrationes,

cum

cum reliquâ vitâ, tum quotidie sentiunt singuli? & erit qui post tot amoris, providentiæ, curæque sollicitæ significationes, se totum, suæque omnia, secum Ipe, certæque fiducia, providentissimo, potentissimo, amantissimo Patri Deo non committat? & ad vanas incertæque hominum providentias, pro! infelici conversione confugiat? & quomodo hunc melius quam prophetis vocibus alloquemur? Ini consilium, coge concilium, & consilium dissipabitur; loquimini verbum, & non fiet; quia non est vobiscum Deus. Stulti facti sunt principes Taneos; sapientes consiliarii Pharaonis dederunt cõsilium insipienti. Dominus miscuit in medio eorum spiritum vertiginis, & errare fecit, sicut erat ebrius & vomens. Et nunc, quid tibi vis in via Ægypti? quid tibi cum via Assyriorum? Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te: & scies, & videbis, quàm malum & amarum sit reliquisse te Dominum Deum tuum, Deum aquæ viuæ fontem; scilicet, vt tibi cisternas foderes, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas! Audite quæ Dominus loquitur; iudicium Domini cum populo suo; Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Quid vos, aut patres vestri inuenerunt in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? Verè, sanctissime mi Deus, ita est, fallaces & mendaces, & folij instar quod vento rapitur, sunt filij hominum; momento disflabuntur, ipsi que, & cogitationes eorum peribunt; Tu autem idem ipse es, & permanes in æternum, solus bonus & misericors, cuius potestas sempiterna, & regnum ingenerationem & generationem: iuxta voluntatem tuam facis tam in virtutibus cæli quàm in habitatoribus terræ: omnia opera tua, & viæ tuæ iudicia, & gradientes in superbia potes humiliare. Videbunt multi & timebunt, & sperabunt in Domino. Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates & insanias falsas.

Isa. 16.
Cap. 8.
Cap. 19.

Ierem. 2.

Mich. 6.

Ierem. 2.

Dan. 4.

Psal. 39.

2. Paralip.
c. 14. & 15.

Ad quas postquam improvidè confugisti, ô ingratiſſime Iudæorum rex Aſa, quàm subito, à summa felicitate, ad miseriam summam derurbatus es! & verò pro ratione spei tuæ, nõnne vtriusque tu ipse tibi fortunæ faber fuisti? Illustre sanè est quod hinc à sacris Literis haurimus exemplum. Insurrexit contra Iudæos, Aſa regnante, rex Æthiops, trecentosque falcatos currus, ea tempeſtate belli robur ingens, deciesque centena militum millia sub signis habebat: ad tantas bellicosi numerosiq; hostis copias expauere Iudæi, sed resumptis fortiter animis, iuit tamen obuiam Aſa, Deoque præſidens orabat; *adiuu nos Domine Deus noster: in te enim, & in tuo nomine habetis fiduciã, venimus contra hanc multitudinẽ. Domine, Deus noster tu es, non praualeat contra te homo.* Quid igitur? exterruit Deus Æthiops, fusi fugati que, & ad internecionem cæsi sunt. Cumq; onustus præda, prælioq; victor, triumphans rediret exercitus, quo cõmendatior auxilij diuini memoria redderetur, occurrit Azarias Propheta, Spirituque Dei intus agitante, clamauit, *Audite me Aſa, & omnis Iuda, & Benjamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quaſeritis eum, inuenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Et

Et quidem benè hæc tenens; fueratque post opem tam explorato perceptam, maioris in Deum fiduciam atque gratitudinis incrementa speranda: sed, ô vitream hominum ad diuina suspicienda constantiam! ô nimiam ad humana subsidia respectanda pronitatem! ecce tibi, Israël's rege, arma aduersus Iudam mouente, ab impijssimo Syriæ rege, Iudæisquẽ infensissimò, emendicat rex Iudæus auxilia, ipsos etiam sancti templi thesauros ad id impetrandum exhaurit. quid igitur? ex illo tempore, regi Asa retro omnia fluere, infortunatè cedere, bella consurgere, donec longa ægritudinis rabe consumtus est. Nec verò, quo fonte tot mala profluxerint, in dubio reliquit Deus; Prophetam enim misit, qui exprobraret, quòd ad Syrum potius, quàm ad Deum respexisset; Nõne Aethiopes & Libyes, in quiebat, multò plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia? quos cum Domino credidisses, tradidit in manus tuas? Oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem, his qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsentis tempore, aduersum te bella consurgent. Ita Propheta. Cuius auctoritate, vt & miserando Asæ regis casu, docemur, quàm nos oporteat, à sancta in Deum fiducia, cuius in nos infinita tenemus argumenta, nusquam vel leuissimè dimoueri.

Ad hoc ipsum nos reuocat Magnus Gregorius quando monet, *Cum nos desperationis procella conturbat, verba sunt sancti Doctoris, concussa mens citius in portum spei se collocat, si causas suas cum Domino subtilitèr pensat, si bona eius ad memoriam reuocat, si mala qua bonis eius reddidit, apud semetipsum callidè non excusat: si perpendit quid ab eo iustè meruit, & quid clementer accepit, si vitam suam viuaciter discutit, — si factam se qua non erat meminit, si illuminatam se atque subleuatam qua in tenebris iacebat agnoscit. — speranda fuerant superna adiutoria, etiam si nulla beneficia præcessissent; spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit. — Quanti est periculi, transacta munera cernere, & futura desperare: quanti est periculi, si in hac procella tribulationum, desperationis naufragio frangimur, qui ad portum spei, velut immensis funibus, præteritis donis ligamur? Vbi, cetera quidem benè, at illud meo iudicio quàm optimè, quod præsentissimi dicit esse periculi, si spem, quam præterita beneficia confirmant, grauior tentationis procella conuellat; etenim qui liberalitati, semper adhuc in se profusè diffidit, illa sanè se præbet indignum: atqui Dei à nobis larga bonitate recedente, in quantas redigemur angustias? quot nos vndique mala vallabunt! æternus dirissimis hostibus futuri risus & opprobrium.*

lib. 26. Mor
c. 16. vel 17.

CAPVT XVIII.

Sperandum ob Dei bonitatem esse.

Sed & alteram excitandæ spei rationem accipe, nempe bonitatem eius qua
 & ad benefaciendum promptissimus est, & in se sperari adeo vult, vt nullam
 rem grauius quàm desperationem ferat: quod postremum antè diximus, de
 erit. 17. priore non meam, sed Sanctorum doctrinam audi breuiter. *Qua res mihi labo-*
ranti, vel subsidio, vel solatio futura est? inquit Nazianzenus: ad quem in angustias re-
 ductus fugiam? audi quid Dauid respondeat, magnus, inquam, ille medicus, ac malos etiam
 spiritus per spiritum in ipso habitantem incantans, ad quem confugies, ex me scire cupis, nec
 per te ipse intelligis? *Quis est qui languidas manus roborat, & genua dissoluta confirmat?*
 qui per ignem ducit, & per aquam salutem affert? *Nihil instructa acie opus est,* inquit,
 non armis, non sagittarijs, non equitibus, non consultoribus, non amicis, non externo subsi-
 dio: *Auxiliares copias in te ipso habes, que & tibi, & mihi, & cuius in promtu sunt.* Vnde
 tantum oportet, animiq; impetum asserre. Inpropinquo est consolatio, in ore tuo, & corda
 tuo. *Memor fui Dei,* inquit, & delectatus sum. *Quid memoria paratius: memor ergo esto tu*
 quoque, & delectaberis. *O facilem & parabilem medicinam! d' celerem curandi rationem!*
 ingentem beneficij magnitudinem non modò animi imbecillitatem, mœstitiãq; sedat Dei
 recordatio, sed & delectationem parit. *Vis alia in super diuina erga humani generis beneuolenti-*
 Ezeh. 18. *tis testimonia producã?* Si, inquit, conuersus ad Dominum ingemueris, tunc saluus eris. *Vi-*
detis quem admodum salus cum gemitu coniuncta sit? Et adhuc te loquente dicet, *Ecce ad-*
sum: & loquetur anima tua, Salus tua ego sum. Nihil inter petitionem, & rei petita obti-
 tionem intercedit, non aurum, non argentum, non splendida & eximia gemma, non cetera
 quibus hominum mentes ad clementiam inflectuntur. Ad dandum enim, & subleuan-
 dum, quàm nos ad petendum, promptior est Deus, ideo quæ rogari vult, quia e-
 rogandi occasione delectatur. *Quis pauperum, spe non prægeſtiat, si in eum vi-*
 rum incidit, cuius neque liberalitas mendicitate fatigari, neque donando diuiti-
 tiæ queant exhaustiri, eamquæ iustissimam donandi causam putat, si speratur
 donaturus? Hac eadem nobiscum conditione agit Deus, ideo quæ præter alia
 serm. 9. in plura, quæ apud eundem legere potes, piè & verè loquitur D. Bernardus: *Hæc*
 est. *Qui habet vna mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis.* Præterdat alter
 meritum, sustinere se iacet pondus diei & æstus, ieiunare bis in sabbatho dicat, postremo
 non esse sicut ceteros hominum gloriatur: *mibi autem adherere Deo bonum est, ponere in*
 Domino Deo spem meam. Denique quando, in se speranti, desit illa maiestas, qua tam stu-
 diosè monet in se sperari? Planè non derelinquit sperantes in se. *Adiuuabit eos, ait, & eruet*
 Psal. 36. *à peccatoribus, & saluabit eos.* Quare? quibus meritis? audi quod sequitur, *Quia sperant*
runt in eo. Dulcis causa, at tamen efficax, at tamen irrefragabilis. Ecce numerus tribulatio-
 nis,

nes, secundum multitudinem earum, consolationes eius letificabunt animam tuam: dummodo ad alium non conuertaris, dummodo clames ad eum, dummodo speres in eum; nec humile aliquid, vel terrenum, sed altissimum ponas refugium tuum. Quis sperauit in eo, & confusus est? Ita Sanctus: quibus verbis res, in quos facile impingimus, notat errores, qui inde contingunt, quod aliam in Deum sperandi rationem quaerimus quam ipsum Deum, cum tamen non aliunde sint nobis expectanda bona, quam quia ipse bonus est. & quia in se sperantes, ideo tantum quod in ipsum sperent, bonis cumulat; nec enim potest vlla certior auerendorum malorum, bonorum impetrandorum ratio fingi, quam quod diuinam bonitatem dedecet, si in se sperantes vel malis sinat opprimi, vel bene optata non faciat consequi.

C A P V T XIX.

Si vspiam lapsi sumus, non ideo sperandum minus: cum duobus alijs monitis.

FAllimur si ob aliquos nostros lapsus, vel quia saepe conati, nihil promouimus, si, inquam, animis fracti, spem etiam elanguescere sinimus, industriam non intendimus, conatum remittimus, pigroque naturae torporinos deorsum rapiendos tradimus. Quam crebro, quam facile in hunc lapidem impingimus? Est quispiam natura sic affectus, vt subito, minimaque de causa, totus in flammam irarum eat; hanc asperitatem, multa lenitatis ac mansuetudinis exercitatione mitificare conatur; saepius conatus, parum promouet, antiquum obtinet, quinetiam, animaduersione suadente, profusior ad iram videtur; ergo remittit animos, de victoria desperat, remissaque inutilis pugnae contentione, naturae impulsu ferrise, non resistentem sinit. Est qui cogitationum, quaquauerisus celerime auolantium, nimiae euagationi frenos cupit iniectos, sed rei supra modum volaticae cohibendae, postquam satis apta vincula reperire non potest, debilitata spes concidit, alia respicit, in quibus vilius laboraturam putet industriam. At vnde in his & id genus alijs, spes nostra concutitur, nisi quod ab euentu & non a solo Deo apta pendet? Si enim Deo solo niteremur, certum nobis esset, nec vlllo lapsu deterreari, nec certa tempora praefinire; cum & per lapsus erigere, & occultas in ipsis etiam lapsibus vires instillare, & temporum articulos consilio suo aptos eligere possit; nostrumque sit, quod nostri quidem est muneri praestare, pugnando certandoque perseverare, omnem autem rerum euentum, sanctissimae eius voluntati, ac decretis relinquere.

Sed molesta erroris, nostra culpa admissi, nos vrget exprobratio, mordet vellicans consciencia, putamus temere ad sperandam opem assurgi, qua nos vel praebue-

Iob 13.

buerimus, vel præbeamus indignos; imò etiam, iustas easque perpetuas iras à Deo commeritos probè scientes, ab eo non nisi mala multa nobis imminere auguramur: si tentatio irruit, si valetudo læditur, si rerum aut negotiorum quidpiam malè geritur, conturbati clamamus; *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris? Scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccata adolescentia mee?* Neque interim obseruamus, hæc omnia ex eo esse, quòd nos ipsos, nostramque operam aut virtutem, anxie circumspectamus; cur enim ob nostra peccata, nostram indignitatem, desperamus, nisi quia ob virtutem nostram, nostramque dignitatem sperandum credimus? atqui omnis erat nostri cogitatio deponenda, ideoque sperandum quia bonus, quia liberalis & beneficus est Deus; vel saltem, si ab insitæ indignitatis recordatione mens nequit auelli, inde nihil spei detrahi, adijci potiùs conuenit, quo maior indigentia, eo fuerit opitulantis beneficentia illustrior; quo maior indignitas, eo laudabilior misereantis benignitas: quare cum bona sint à Deo speranda, quia bonus est, quia sperari à se vult, quia suæ bonitatis ubique vult argumenta exstare testatissima, quidni quo indignior sum, eo sperabo magis, quia & tanto indigentior sum, & misericordia mihi exhibita, diuinæ largitatis atque clementiæ profusionem longè magnificentissimam edocebit?

At ego ipse, indispensato conatu, studijs, vigilijs, ieiunijs, cilicijs, & id genus corporis afflictationibus nimijs, ita corporis animique vires attriui, vt ad virtutis exercitationes, scientiæque mihi perutilis comparationem, effectus langueam; quid hinc sperem, dum perpetuas imprudentiæ pœnas luo, & commilitonum amulando volatui, vix testudineos inferre gressus valeo? ò ratiocinationes hominum, nimium semper, suis sensibus, suis viribus adfixas, nec satis vquam, ad capiendâ diuinâ purè assurgentes! ah quoties, ita loquentes, ignauosque mœrore depressos, & audiri, & vidi, nec tamen tacentes erigere potui! Tu enim solus es Domine, qui suscitatis à terra inopem, & mœrentes erigis sospitate. erigis autem, si ad se non respexerint, sed ad te qui in excelsis habitas, & humilia respicis, tota mente suspexerint. Tunc enim eos doces, nec labore, nec consilio, nec scientia, nec industria, nec vlla hominum virtute nos perfici, sed tua vnus gratia, & viuifica vi intus infusa: quæ quidem se conatibus nostris, cum voluerit adiungit, at nec illis opus habet, & plenior se alueo infundit, quoties à nobis descendentibus, à sola tua largitate pendemus.

At quoniam conatus quoque nostros exigit, gnauisque & industrijs, non autem otiosis ac stertentibus præmia posuit Deus, is verò qui solertiæ & ingenij vires in partem aliquam confert, ægrè admodum illi ipsi quam ad desideria consequenda contendit, industriæ diffidit, (hæc enim est quam potiundæ spei administram facit) propterea, propemodum beatos, certè non infelices eos prædico, qui in id imbecillitatis inciderunt, vt, cum nullos præ infirmitate corporis

ad

ad virtutem comparandam, laboresque tolerandos, imperus afferre possunt, suis viribus ac operibus planè despondere, & ad vnam benigni Dei liberalitatem respectare cogantur. Tunc etenim si ardentia desideria non desint, quæ ut non desint, quàm facile est, quando nulla rerum arduitate reprimuntur: si imbecillitatem & patientiam suam, quasi omnium laborum conatumque vicariam, liberali & clementissimo Deo offerant, id verò perlibenter & benignissimè suscipit, humiliumque & ad se confugientium preces exaudit, animi perfectionem, virtutes plurimas præ celsasque largitur. Ergo quod labori, scientiæ, orationi proluxa, afflictationi tui corporis, ô quicumque vnde cumque debiliore euasisti, videtur deesse, id humilitate, patientia, tuæque ad diuinam (vt nunc tecum agitur) voluntatis conformatione compensa, omninoque tibi nihil deesse crede. ô quàm multi ad summum sanctimoniam culmen ex infirmitate venere, qui valentis corporis acti stimulis, in extremam perniciem præcipites ferebantur! quàm multi, nulla scientiæ claritudine fulgentes, doctissimos tamen viros omni virtutum instructu, & quod caput est, apud Deum gratia præcelluerunt. Annon legisti, indignantem sibi quendam; *Indocti calumrapiunt, & nos cum nostris scientijs ecce vbi volutamur!* Et alter, post recitata Sanctuli (id nomen viro erat) literas nescientis mira facta, *Comparemus, inquit, si placet, cum hac nostra indocta scientia, illius doctam ignorantiam. Vbi hac nostra iacet, ibi illius disciplina eminet. Nos, de virtutibus, vacui loquimur, & quasi inter fructifera arbuta positi, odoramur poma, nec manducamus: ille, virtutum fructus carpere nouerat, quamuis hos in verbis odorari nesciebat.* Certè, valeamus, langueamus, docti indoctivè, eloquentes infantæque, rebus gerendis apti simus ineptivè, si Deo fidimus, perficiet quæ benè voluerimus: nulla igitur nostra imbecillitate frangamur, nullo humanæ lapsionis casu, de concepta spe decidamus.

Alter est error, in speciem quidem contrarius, at re vera ex eadem origine prognatus, ideoque breuius à nobis perstringendus: cum scilicet, rerum successu efferimur, iamque credimus pari facilitate quidquid obuium fuerit, esse subruendum. Sanè, *cum consummauerit homo, tunc incipiet*, cor tuum tui fiducia tumet, tibi præteritarum rerum felicem exitum tribuis; mox tua tibi in faciem exprobrabitur infirmitas, ex aduersum fluent omnia, implicabuntur, & ad quem confugas, aut quod te vertas non erit. Annon id Nabuchodonosori contigit, qui sua sibi tribuens, iamque supra hominem se quiddam excelsius putans, intra homines ad belluas amandatus est? Quid Amasias rex Iuda, Idumæorum rege victo superbiens, quàm ignominiosè victus, & captus est, ab eo, quem in sui perniciem importunè suscitatar, Israëlitarum rege? Quod genus hominum apud quodam loco S. Gregorius, victori comparat, qui auiditate prædæ, incautiùs in feminecem hostem irruens, nudum vulnere latus præbet, furtimque à iacente perfossus, in ipsa victoria vincitur, dumque nimium præfidit superalle, superatur: ita prorsus est, qui (vt ex vno cetera discamus) iræ impetum, iam sapius re-

D. August.
in Confess.
D. Greg. l. 5.
dial. c. 37.

4. Reg. 14.

petita mansuetudine frænarit, si se ipse circumspicit, sibi de virtute blanditur, iam se aliquem & laude dignum putat, ad hunc laudis fructum, quasi prædam, præmaturè (nec enim id hæc in vita tutum est) decerpendum prouolat, interimque vanæ sui ipsius existimationi, superbiæ, & in Deum ingratitude, feriendum se, ac mox etiam despoliandum obijcit.

Tertius est error, (tot enim prædixeram cauendos) cum ad homines, ingenium, consilia, industriam anxie respectamus, toti que inde pendemus: qui profecto error, est per frequens, licet ore tenus, res nostras & consilia Deo nostro commendare simulemus. Ita sumus natura comparati; à nobis ipsis, ab hominibus, & ab humanis subsidijs, ac vniuersè abs ijs quæ in sensum cadunt, ægè admodum recedimus; tum verò ægè, cum ab ijs ad ea relegamur, quæ & sensibus sunt longius remota, nec vlla penitus euidente testificatione constant. Accedit perpetuus, & à teneris vnguiculis vsurpatus vsus, ceterorum, eorumque laudatissimorum exemplum, doctrinæ institutio, ipsa etiam prudentiæ solertiæque laus: quæ omnia id vnum summa consensione docere creduntur, ut si prouidè prudenterque viuere velimus, consilio, ingenio, industria, aduocato etiam hominum fauore, quò volumus tendamus; id demum bene cedere, cui secunda hæc omnia adspirent. Atqui hæc est summa & præsentissima spes in Deum pernicies, nisi necessaria moderatione vtamur, ita conatus, auxilia, fauorem, industriam adhibentes, vt nequaquam spem in illis, sed in Deo tantum reponamus; quod fiet, si ista quidem, quia sic decet, quia sic muneris nostri ratio exigit, vsurpamus. at persuasum omnino nobis est, nec eum qui plantat esse aliquid, nec eum qui rigat, quamquam & plantandum & rigandum est, sed eum qui solus internas & latentes incremento vires præbet Deus; nam & in vanum laboratur, & frustra vigilatur, nec tamen propterea à vigilando, nec à laborando cessatur, nisi Dominus ædificauerit domum, nisi custodierit ciuitatem. Igitur, quod nostrum est, conferendum est; at sedula obseruatione cauendum, vt id quod contulimus, nihil nobis fiducia, timorem potius incutiat, ne scilicet plus æquo nobis credentes, vel hominibus, in certis que consilijs præfisi, Deo non adnitente, in cassum laboremus: at, vbi quod nostrum est præstiterimus, nos & consilia nostra spernamus, non putemus aptius aut subtilius quippiam à nobis excogitatum, sed à nobis ad Deum ita sincerè transferamur, ac si penitus omnium consiliorum & auxiliorum essemus egentissimi. Tua Domine, solius prouidentia non exerrat, dixisti & facta sunt, nec est qui tuæ resistere possit voluntati, & per quæcumque volueris, stabiles quod decernis: ecce Domine si ista consilia sum secutus, si eiusmodi auxilia imploraui, absit à seruo tuo Domine, vt tuis consilijs, tuis auxilijs ista prærogata velim: imò veriùs, cum à te omne bonum esse sciam, & bona, illa quoque viderentur, cur non à te quoque id consilij, id auxiliij mihi suffici crederem? cur non quasi tuis & propter te vterer? cur non, si illa contemsissem, donorum neglectorum reus esse timuissem? Tua igitur hæc sunt consilia,

filia, tua auxilia, tu illis, Domine, quantum placuerit virium adspira: tuum erit, quidquid inde erit, & quod per illa fiet, te benignè adspirante fiet; sin autem & consilia & auxilia ista, tuæ diuinæ maiestati minus probantur, Sit nomen tuum benedictum, fiat voluntas tua: consiliorum tuorum est inscrutabilis abyssus, est potestas inexhausta, & aliunde certius id statues, aprius perficies, neque patieris, vt seruo tuo fiducia tua fuisse vnquam detrimetosa videatur. *Quis sapiens, Psal. 106. & custodiet hac, & intelliget misericordias Domini?*

CAPVT XX.

Spem excitari à diuina prouidentia.

Primam spei excitandæ rationem, vetera beneficia diximus, alteram item ipsammet Dei bonitatem qua in se sperari vult: addamus & tertiam ab eius in res omnes, potissimè tamen homines, prouidentia ductam. Est autem hæc ratio, ab ipsomet Deo ac Domino nostro Iesu Christo tam dilucidè vehementerque commendata, vt nihil melius possimus quàm crebrò attenteque eius verba meditari: suadens enim, vt curis omnibus politis, ad Dei vnus gloriã quærendam, nos totos, vt par est, transferamus, ita suis loquitur; *Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Ideo dico vobis ne solliciti sitis anima vestre quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum: Respicite volatilia celi, quoniam neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; & pater vester celestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adiecere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri quod hodie est, & cras in elibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modica fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigeris. Quarite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua. Ita Dominus, qui & paulò p̄dit, Si vos cum sitis mali, nos itis bona data, dare filijs vestris; quanto magis Pater vester, qui in calis est, dabit bona petentibus se? & vt notis quæ ista bona, explanauit S. Lucas dicens, Dabit spiritum bonum petentibus se? Licet enim in superiore sententia, de rebus ad hanc vitam necessarijs ageret Dominus, omnemque victus & vestitus curam in vnum Deum transferendam doceret: ipsa tamen argumentorum vis, & prouidentia ratio longius progreditur. Si enim, quia pluris quàm fœnum, quàm aues sumus, propterea magis prouidebit Deus; annon etiam, pari ratione dicam, Nonne animus plus*

plus est quàm corpus, & æterna vita quàm præsens: si ergo vitæ mox interiret, si corpori mox esca vermium futuro, de rebus, tam necessarijs, quàm opportunis largiter prouidit Deus, & speranti in se, regnumque Dei quærenti, benigne semper prouidet; quantò magis diuinæ prouidentie incumbet, vt eorum que ad præsens animi subsidium, ad virtutum sanctarum comparationem, ad cauendam dæmonis insidias, æternamque salutem consequendam spectant, nihil desit? Certè, si hæc tam multa quæ videmus, tuendo, fouendo, alendo, ornando corpori data sunt, corpus autem ipsum non nisi vehiculum est animi, & pars hominis longè infima; quis in dubium vocet, an perficiendo, suamque in beatitudinem perducendo animo longè plura atque potiora sufficiat Deus? Hoc agnoscens audebat sancta quædam anima; Dilectus meus mihi, & ego illi: quid ille tibi, quid tu illi: nempe, intendit, vigilat, curat. O quid audeat cor purum, & conscientia bona, & fides non ficta! inquit S. Bernard. Itaque huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio pariter, & administratio vniuersitatis incumbit; & cura secularum, ad sola transfertur negotia, imò otia, amoris & desiderij huius: Ita planè. Omnia propter electos. Et cui dubium, quòd gratia & misericordia Dei sit in sanctos eius, & respectus in electos illius? Ergo prouidentiam non negamus alijs creaturis, curam animus hominis vendicat sibi. Numquid de bobus cura est Deo: nec dubium quin idem dicere possimus de equis, de camelis, de elephantis, & de cunctis bestijs terra: similiter & de piscibus maris, & volatilibus cali, postremo de omni re qua est super terram; solis sanè exceptis quibus dicitur: Omnem sollicitudinem vestram proyicientes in eum, quia ipsi est cura de vobis. Et obserua Apostolum Petrum; (eius enim verba sunt.) Non ait, Omnem sollicitudinem vestram proyicientes in eum, vt sit ipsi cura de vobis; sed, Quia ipsi est cura de vobis: aperte proinde monstrans, quoniam non modò dilecta, sed & quòd prius dilecta fuerit Ecclesia Sanctorum. Paucisque interiectis pergit; Nonne hæc est ovis errans, cuius cura, etiam supernorum cura gregum, prelata est? Denique illis expositis, pastor descendit ad istam, quæsiuit diligenter, inuentam non reduxit, sed reuexit: noua, cum illa, & de illa, intulit calis festa gaudiorum, populis angelorum iuuitatis ad solennitatem. Quid ergo: proprijs humeris dignatus est eam reportare, & curam illius non habebit? Ideò non confunditur dicere, Dominus sollicitus est mei. Quid ista non audeat, apud tam ambitiosum amatorem? quid non ab illo speret, qui se quæsiuit e celo, recauit à sinibus terra? nec modò quæsiuit, sed acquisiuit: adde & de modo acquisitionis, in sanguine acquisitoris.

Certè si in eo commendatur Dei caritas, quia prior dilexit nos, quia pro peccatoribus, perduellibus, ingratis, æqualem sibi Filium morti crucis tradidit, eritne vnde suspicemur, aliquid bonorum, quæ in eius potestate sunt, esse nobis denegandum? eritne vnde paternam & benignissimam eius prouidentiam, nobis iam filij sui sanguine redemptis & adoptatis defuturam putemus? Audiamus quid Sapiens moneat: *Va dissolutis corde, qui non credunt Deo: & ideo non protegentur ab eo. Va his qui perdiderunt sustentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient, cum inspiciere fecerit Dominus?*

Cant. 2.
hom. 68. in
Cant.

2. Tim. 2.

1. Cor. 9.

1. Pet. 5.

Eccli. 2.

Dominus? Respicite, filij, nationes hominum: & scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius & derelictus est: aut quis inuocauit eum, & despexit illum?

CAPVT XXI.

Quàm certa sit Religioso viro spes.

Sed accipe postremum eumque copiosissimum spei in æternum profuturae fontem, neimpè à sæculi tumultibus ad Religiosæ vitæ quietem euocatum esse; Nec enim fecit taliter Dominus omni nationi, nec iudicia sua manifestauit eis. Scimus autem verè dictum, Quos predestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Dona quippe Dei sine penitentia sunt, & ad perfectiora, constantia, & æterna perducunt: ideoque vbi vocationem, ac maximè insigniorem vocationem vides, argumentum vides saluare volentis Dei. Et quoniam eleganter atque diffusè, qui omnium manibus teritur Hieronymus Platus id persecutus est, non agam pluribus, in memoriam reuocabo Domini nostri Iesu Christi, nulla vniquam delendam obliuione sententiam; Nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo futuro vitam æternam. Potueruntne, vel affirmatiùs, vel copiosiùs, animi & corporis bona promitti? taliq̃ue promissione, in publicas tabulas, Spiritu sancto contestante descriptâ, quid iam dubitationis possit emergere? in quascumque redigaris angustias, quidquid è præterita, quidquid è præsentis vita molestiæ ingeratur, vadem habes Christum Iesum; adiro, conqueritor. En Domine, centuplum in hac vita promissisti, & vitam deinceps æternam; vbi centuplum in his angustijs? vbi in hac morte vita? Veritatem verborum tuorum demonstra mihi Domine, & misericordiam tuam ne deneges mihi. Profectò, si ita fidenter accedis, numquam sine leuamento recedes. Experieris, ne dubita; tantummodo, obsecro te frater, verbis inquam Apostoli, Obsecro, vt dignè ambules vocatione qua vocatus es, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportando inuicem in caritate, sollicitus seruare unitatem spiritus in vinculo pacis. Hic iuxta propheticum promissum, lactaberis à Domino, & vitatores qui te excolant sortieris, & erit tibi vallis Achor ad aperendam spem, & sponsaberis Deo in sempiternum, sponsaberis in iustitia & iudicio, & in misericordia & miserationibus.

S. Bernardus epistola centesima septima, vult vnumquemque qui se à peccatorum cupiditatumque improbo dominatu creptum videt, certam hinc spem salutis haurire, sibi que etiam cetera præstò futura spondere: quod ipsum quoniam de vocatione Religiosa, Religiosoque homini longè veriùs dici potest,

test, adscribam eius verba, & quia plena pietatis, & quia certum perseverantia pignus pollicentur. Cum peccator, Sole illucescente iustitia, abicēis operibus tenebrarum, induitur arma lucis: & is quem prior vita ac propria conscientia, tamquam re vera filium gehenna deputauerat ardoribus sempiternis, ad tantam visitatione se Orientis ex alto dignationem respirans, gloriari etiam incipit prater spem in spe glorie filiorum Dei, exultans nouo in lumine speculari, & dicit; Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti letitiam in corde meo. O Domine, quid est homo, quia innotuisti ei: aut filius hominis, quia reputas eum? Iam se, o bone Pater, vermis vilissimus, & odio dignissimus sempiterno, tamen confidit amari: quoniam se sentit amari, imò quia se amari presentit, non red. amare confunditur. Iam apparet in lumine tuo, o inaccessible lux, quid boni penes te, etiam cum malus esset, miserum maneret homunculum. Amat proinde non immerito, quia amatus est sine merito. Amat sine fine, quia sine principio se cognoscit amatum. Agnosce, o homo, consilium Dei in iustificatione tua. Presens namque iustificatio, est quadam ad futuram gloriam preparatio. Aut certe predestinatio, ipsa potius preparatio est: iustificatio autem, magis iam appropinquatio. & mox; Nemo se amari diffidat, qui iam amat. Habes dilectionis pignus, Spiritum, habes & testem fidelem Iesum, & hunc crucifixum. O geminum ipsumque firmissimum, Dei erga nos amoris argumentum! Christus moritur, & meretur amari: Spiritus afficit, & facit amari, &c. Quanta confusio, Dei filium ingratis oculis cernere morientem! Quod quidem facile contingit si desit Spiritus. Nunc autem quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis, amari amamus; amantes, amplius mereamur amari. Si enim cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Quid enim qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, non etiam omnia cum illo daturus est nobis? Quam miserandi, qui ad tam iucundum salutis indicium, nullum adhuc tenent sua vocationis testimonium! Domine quis credidit auditui nostro? O vitanam saperent & intelligerent! verum nisi crediderint non intelligent. O infelices, seculi male securi amatores! vestram seorsum à iustis consilium. Ita Bernardus paucis intermedijs omittis.

Rom. 5.

lib. de Mens.
crucis, in
latitud.

Verum ne longior euadam, hinc finio breuissima in Deum sperandi capita e D. Anselmo referens. His enim verbis conuerso ad Deum sermone loquitur; Sunt causa septem, quae cogunt nos tuae confidere bonitati. Prima, quia iustum iustum desiderium tu das. Et ad quid daret, nisi etiam velles exaudire? Secunda, quia non ad nostram utilitatem, sed ad tuam gloriam volumus exaudiri. Tertia, quia maiora quae pro nobis fecisti, animant nos ut etiam de minoribus confidamus. Omnia enim quae petere possumus, longe minora sunt, quam quod dignanter pro nobis es incarnatus & passus. Quarta, quia tam facile est, apud te, in maximis, quam in minimis exaudire. Quinta, quia nos ad hoc prouocat tuae consideratio bonitatis. Sexta, quia intercessorem te Iesu Christe, habemus, & omnes Sanctos. Septima, quia infinitam ad nos habes bonitatem. Si enim modica dilectio, quam ad te habemus, ad hoc nos cogit, ut in omnibus tuae voluntati libenter

benter parere velimus, cur idem de inassimabili dilectione tua non presumeremus? alio-
qui fideiiores vellemus apparere quam tu, si tales nos tibi exhiberemus, qualem te nobis, e
conuerso, non crederemus. Hæc D. Anselmus.

Obseruandum autem hic est, nobis quidem esse prouidendum, vt bene
sperandi rationes omnes & causas mente complectamur, memoriaque quam
creberrimè occurfare curemus: Si tamen quæpiam est, qua minùs permoue-
mur, quàm ve minùs capimus, aut in qua non nihil est quod nos deficit, non est
cur idcirco fatigemur, vegetusque spei vigor elanguescat; satis est vt à ceteris
roboretur, vel etiam ab vnica benè fidendi causa. Veluti, si (quod ad secun-
dam à D. Anselmo positam causam spectat) minùs comperio desideria mea in
Dei laudem ferri, vereorque ne mei ipsius amore ducar: erit quidem, vnde me
ipse reprehendere, & in posterum ad perfectiora stimulare debeam; at interim,
cur non sperabo in Domino, & quas à me non habeo, ab eius bonitate, prou-
dentia, beneficentia, sperandi rationes petam? Omnino id longè satius; exile est
enim, facileque conuellitur, quidquid fallente hominum arte consurgit; at fir-
mum est & perennat, quod sui ortus & auctus fundamenta, ab vno posita Deo,
in eundem, eiusdem ope sustollit.

LIBER SEXTVS,

De Orationis præsidio.

Sperem eam de qua proximè dictum est, vel sequitur, vel vehemen-
ter confirmat oratio: adeoque hæc sunt connexa, vt neque ad ora-
tionem sine spe, quisquam possit accedere, neque iusta bonorum
impetratorum spes esse possit sine oratione, cum oratio posita
sit à Deo, omnium, atque adeò perseverantiæ obtinendæ via. *Pe- Matth. 7.*
rite, inquit Dominus, & dabitur vobis, querite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vo-
bis. Omnis enim qui petit accipit, & qui querit inuenit, & pulsanti aperietur. Omnia que- *Marc. 11.*
cumque orantes petitis credite quia accipietis, & euenient vobis. Itaque Timor, Spes, O-
ratio firmissima sunt ad perseverandum præsidia, dictum de prioribus, de poste-
riore dicendum.